SCRIPTA PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI

GRAECITAS BIBLICA

EXEMPLIS ILLUSTRATUR

A

MAXIMILIANO ZERWICK S. J.

EDITIO TERTIA AUCTA ET EMENDATA

ROMAE 1955

E PONTIFICIO INSTITUTO BIBLICO

SCRIPTA PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI

92

IMPRIMI POTEST

Romae die 3 Martii 1955

ERNESTUS VOGT S.J.
Rect. Pont. Inst. Biblici

IMPRIMATUR

† ALOYSIUS TRAGLIA, *Archiep. Caesariens. in Palaestina, Vicesger.*

IURA EDITIONIS ET VERSIONIS RESERVANTUR

Printed in Italy

CITTÀ DI CASTELLO, STABILIMENTO TIPOGRAFICO S. LAPI - 1955

Praefatio ad primam editionem

Articuli, qui decurrente anno 1943 in ephemeride « Verbum Domini » de graecitate biblica apparuerunt, emendati et paulisper aucti hic collecti proponuntur.

Huius opusculi origo finis et ratio est haec : Ex aliquot iam annis futuros S. Scripturae professores doceo linguam, quam vocant graeco-biblicam, haud raro aegre ferens, quod debeo onerare et vexare auditores meos sescentis quisquiliis philologicis, de quibus philologorum quidem interest, non autem hominum qui ad exegesim intenti rei discendae utilitatem quantum fieri potest palpabilem quaerant idque eo magis quod ipsi quoque ex officio graecitatem biblicam docturi sunt — paucis lectionibus — alumnos generatim parum praeparatos.

Ideo mihi proposui utilitatem illam, quantulacumque iudicatur a lectoribus, exemplis illustrare sequendo ordinem grammaticorum et notando ea sola, quibus aliqua utilitas exegetica non videatur posse denegari. Quapropter omisi integram morphologiam, utpote quae ex conceptu suo de solis formis agat non de eorum usu et significatione. De sola igitur syntaxi nobis sermo erit.

Romae, die 15 Januarii 1944.

Praefatio ad secundam editionem

Finem quem in priore editione mihi proposui in hac secunda editione paulum d i l a t a r e utile duxi. Ubi enim agitur de Verbi Dei textu originali exegetae omnino videtur esse adamare huius linguae etiam subtiliores proprietates, imprimis illas, quae, utpote originem ducentes ex traditionis biblicae s u b s t r a t o s e m i t i c o, aliquantulum aurae Palaestinensis experto lectori gustandum praebent.

Quamvis in hoc opusculo pauca quaedam vere sint mea, libenter renuntio omni merito originalitatis et independentiae dummodo a lectoribus et a criticis mihi permittatur ut omittam sescentas laudationes principaliorum in re nostra auctorum, praeprimis optimi meriti operis Alberti Debrunner.

Romae, die festo S. Hieronymi 1949.

Praefatio ad tertiam editionem

Exeunte anno 1953 publici iuris feci opusculum « Analysis philologica Novi Testamenti graeci ». Illius libri ad hanc tertiam editionem Graecitatis Biblicae relatio est duplex : 1) totum NT a primo versiculo usque ad ultimum diligenter peragrans non potui non haud pauca invenire quae huic tertiae editioni inserere visum sit ; 2) cum autem « Analysis » passim se referat ad numeros secundae editionis « Graecitatis », hanc numerationem retinere volui, nova plerumque inserendo sub numero praecedenti adiectis litteris a, b, c. (Ita accidit ut e. g. sectio **325^{a}** nihil commune habeat cum praecedenti sectione **325**).

Additamenta maiora inveniuntur sub numeris 1^{a} 4^{a-c} 5^{a} 8^{a} 32^{a} $33^{a\cdot b}$ 43^{a} 44^{a} 51^{a} 56^{a} 59^{a} 62^{a} 69 70^{a} 75^{a} 93^{a} 101-106 110 120^{a} 125^{a} 130^{a} 131^{a} 138 142^{a} 155^{a} 165^{a} 166^{a} 178 181 181^{a-c} 196^{a} $199^{a\cdot b}$ 203^{a} 204 206 206^{a-c} $208^{a\cdot b}$ 228^{a} $229^{a\cdot b}$ 255 256^{a} 265^{a-c} $279^{a\cdot b}$ $296^{a\cdot b}$ 307^{a} 310 313^{a-c} 314 315 323 $323^{a\cdot b}$ 325^{a-d} 328^{a} 329^{a}

Restat ut gratias agam Recensentibus qui editionem secundam non tantum admodum benigne iudicaverunt, sed etiam utilissimis observationibus ad expoliendam hanc tertiam editionem contribuerunt. Liceat nominatim efferre A. Debrunner, P. Benoit, P. Gächter.

Romae die 1 Januarii 1955

AUCTOR

INDEX RERUM

	NUM.
I. *Ad congruentiam*	1-13
1) ad usum pluralis	1-4c
pluralis indefinitus	1-4
pluralis « categoriae »	4a
pluralis « epistularis »	4c
2) indeclinabilia	5-8
τὶς	5
numeralia	5a
πλήρης	6
πᾶς	7
3) defectus congruentiae in participiis	8
4) attractio relativi	9-13a
frequentia	9
attractio dativi	10
metathesis antecedentis	11
attractio inversa	12
omissio praepositionis apud relativum	13a
II. *Ad casus*	14-53
1) ad nominativum	14-23
nominativus pendens	14s
nominativus pendens in D	16
casus pendens	18
nominativus pendens apud Io	19
nominativus pendens cum πᾶς	20
in praedicato εἰς	21
nominativus et vocativus	22
nominativus loco vocativi	23
2) ad vocativum	24
Ὦ apud vocativum	24
3) ad genitivum	25-35
genitivus generalis	25-28
genitivus « hebraicus »	29s
υἱός cum genitivo	31s
genitivus epexegeticus	33s

NUM.
pluralitas genitivorum 33b
genitivus absolutus 34
neglectus participii « coniuncti » 35
gen. abs. sine (pro)nomine 35a
4) ad dativum 36-46
dativus recedit. 36
dativus loco accusativi 37-39
apud verba 37
dativus relationis 38
dativus temporis 39
dativus commodi 40s
dativus loci 42
dativus causae 43
dativus agentis 43a
dativus « internus » 44s
dativus cum ἐν 46
5) ad accusativum 47-53
intransitiva evadunt transitiva 47
accusativus loco genitivi partitivi 48s
accusativus et genitivus apud ἀκούειν. 50
praepositiones loco accusativi simplicis 51
accusativus rei in passivo 52s

II. *Ad praepositiones* 54-103

1) generalia 54-61
indoles adverbialis 54s
leges generales 56-61
usus crescit 56
numerus decrescit 57
varietas decrescit 58
praepositiones improprie dictae 59
affinia confunduntur 60
2) praepositiones aemulae 62-81
ἀπό = ἐκ 62
ἀπό = ὑπό et παρά 63
ὑπέρ = ἀντί 64-68
ὑπέρ = περί 69
εἰς = πρός 70
εἰς = ἐν 71-81
immunitas ab hac confusione 76-81
apud Paulum 77-80
exceptio in Epistolario 81

NUM.

3) ad singulas quasdam praepositiones 82-103
διά 82-85
διά causalis 82s
διά modalis 84
διά temporalis 85
ἐν 86-91
usus sociativus 86-88
usus instrumentalis 89
apud dativum 90s
ἐπί 92-98
usus localis 93
usus translatus 94
usus causalis 95s
usus additivus 97
usus de fine 98
κατά 99-100
loco genitivi 99s
ἀπό 101s
vis perfectiva in compositis 101s
ἐκ 103
usus Paulinus et Ioannaeus 103

IV. *Ad adiectivum* 104-116

adiect. loco substantivi 104
neutrum de personis 105
adiectivum verbale 106
formae comparativae 107-116
influxus semiticus 109-111
positivus pro comparativo 110
positivus pro superlativo 111
influxus linguae popularis 112-116
comparativus pro superlativo (et positivo) 112s
superlativus pro comparativo 114s
pronomina comparativa 116

V. *Ad numeralia* 117-121

cardinalia pro ordinalibus 117
εἷς pro τὶς 118
εἷς pro ἕτερος 119
distributiva 120
cardinalia in multiplicatione 121

NUM.
VI. *Ad articulum* 122-145

munus articuli 122-126
omissio articuli 127-137
in praedicato 128-130
in abstractis 131s
in concretis 133-137
repetitio articuli 138s
repetitio articuli apud adiectivum 140s
positio adiectivi attributiva et praedicativa 141
positio attributiva et praedicativa apud πᾶς.............................. 142-144
articulus apud solum adiectivum 145

VII. *Ad pronomina* 146-169

1) magna frequentia 147-160
huius frequentiae rationes.............................. 147
in casibus obliquis 148
in nominativo 149s
repetitio pronominis post relativum 151-53
usus prolepticus 154s
pronomina reflexiva 156-160
2) neglectus distinctionum 161-169
οὗτος et ὅδε 161
οὗτος et ἐκεῖνος 162
ὅς et ὅστις 163-166a
τίς et ὅς 167-169

VIII. *Ad voces verbi* 170-179

vox quid sit 170
vox activa in futuro 171
ποιέω loco ποιοῦμαι.............................. 172
vox passiva loco mediae (in aoristo) 173-175
medium « directum ».............................. 176s
medium « indirectum ».............................. 178
vox media loco activae 179

IX. *Ad « tempora »*.............................. 180-214

1) « genera actionis ».............................. 180
2) aoristum 181-199
actio punctualis et continua 181-184
in imperativo 181

NUM.

in prohibitione 182s
in infinitivo, participio, modis 184
aoristum « ingressivum » 185s
aoristum «effectivum » 187
aoristum « complexivum » 188
in prohibitionibus 198
in precibus 190
aoristum « gnomicum » 191
aoristi usus prolepticus 192
influxus hebraicus 193s
participium aoristi 195-199
pro prioritate 195
pro contemporaneitate 196
pro posterioritate ? 197
pro actione subsequente ? 198s
partic. post verba percipiendi 199a
3) imperfectum 200-205
indoles imperfecti 200
distinctio ab aoristo 201
verba ad imperfectum proclivia 202s
imperfectum « inceptivum » 203a
inf. et part. praesentis in sensu imperfecti 204s
4) futurum 206-208
praesens pro futuro 206
futurum sub influxu semitico 206a-c
raritas participii futuri 207-208
participium praesens de scopo ? 208a
5) perfectum 209-213
vis perfecti 209-211
usus arbitrarius 212
perfectum « aoristicum » 213
6) plusquamperfectum 214

X. *Ad Modos* 215-252

modus quid sit 215
1) modi in condicionalibus 216-231
typus realitatis 217-224
typus realitatis loco irrealis 223
typus realitatis pro mero nexu 224
typus probabilitatis 225
non necessario exprimit dubium 226
typus universalitatis 227

NUM.

typus possibilitatis 228
typus irrealitatis 229
usus temporum in irreali 229a-b
ἄν deficit 230
anomaliae hellenisticae 231
2) modi in oratione relativa 232-234
iidem typi ac in condicionalibus 232
eaedem anomaliae 233
nexus inter coniunctionem et modum 234
3) modi in oratione finali 236-240
ἵνα cum indicativo futuri 236s
futurum post coniunctivum 238
propositio relativa finalis 239
timor et praeoccupatio 240
4) modi in oratione indirecta 241-43
optativus obliquus 241
interna dependentia non expressa 242
unde coniunctivus? 243
5) modi in oratione consecutiva 244
ὥστε cum indicativo 244
6) oratio consecutiva et finalis 245-247
affinitas 245
distinctio oblitterata 246s
7) optativus 248-252
optativus desiderii 249
optativus potentialis 250
optativus obliquus 251
optativus iterationis 252

XI. *Ad participium* 253-265c

constructio periphrastica 253
constructio periphrastica in imperfecto 254s
participia « graphica » 256-259
participia graphica non premenda 257s
ἀποκριθεὶς εἶπεν 258
ἀπεκρίθη καὶ εἶπεν 259
λέγων = *le'mor* 260
participium pro infinitivo absoluto 261
participium praesentis pro praeterito et futuro 263s
participium pro imperativo 265
participium coordinatum cum verbo finito 265a-b
assertio principalis in participio subordinata 265c

NUM.

XII. *Ad infinitivum* 266-79b

infinitivus decrescit 266
infinitivus crescit 267-278
post verba motus 267
infinitivus cum articulo 268-278
infinitivus cum τοῦ 269-272
infinitivus cum τοῦ in secundo membro 271
τοῦ mere pleonastice appositum 272
temporalis usus infinitivi cum ἐν τῷ 273-276
πρὸς τὸ cum infinitivo aequivalens gerundivo 277s
subiectum apud infinitivum 279
omissio subiecti et obiecti apud infinitivum 279b

XIII. *Ad coniunctiones* 280-306

1) de usu particulae εἰ 280-285
in iureiurando 280
ut particula interrogativa 281
in interrogatione indirecta 282
de exspectatione 283
post verba affectus 284s
2) de usu coniunctionis ἵνα 286-294
ἵνα loco infinitivi 286s
ἵνα loco infinitivi completivi 288
ἵνα loco infinitivi consecutivi 289
ἵνα loco infinitivi epexegetici 290-290a
ἵνα causale 291-293
ἵνα in exhortatione independente 294
3) de ὅτι declarativo et causali 295-299
ambiguitas 295s
ὅτι de causa unde aliquid scitur 297-299
4) de ambiguitate particulae aramaicae *di* 300-306
vis multiplex particulae aramaicae *di* 300
ὅτι causale loco pronominis relativi 301
ἵνα loco pronominis relativi 302s
ὅτι causale loco recitativi 304
ἵνα vel ὅτι loco ὅτε 305s

XIV. *Ad negationem* 307-311

distinctio inter μή et οὐ 307
οὐ cum futuro in prohibitionibus 308

NUM.

οὐ μή cum coniunctivo 309
οὐκ ... ἀλλά in disiunctivis.......... 310
οὐ πᾶς; πᾶς ... οὐ 311

XV. *Ad particulas* 312-325

1) ad particulam καί.......... 312-325a
frequentia coordinationis 312
coordinatio loco comparationis « sicut ... ita ».......... 312a
alii coordinationes paradoxae 312b-c
usus neutralis 314α-ι
καί pro « et tamen » 314α
ακί pro « sed ».......... 314β
καί pro ut finale vel consecutivum 314γ
καί pro cum temporali. 314δ
καί loco propositionis relativae.......... 314ε
καί = id est 314ι
καί post ἐγένετο 315
καί « apodoseos ». 318
καί in interrogatione.......... 319
καί in hendiadyoin. 320
καί ante futurum post coniunctivum.......... 321
καί « etiam » post διό etc.......... 322
καί post relativum.......... 323
2) ad particulam τέ.......... 324
3) ad particulam δέ.......... 325
4) Confusio inter εἰ μή et ἀλλά 325a-d

Epilogus 326-338

generales leges evolutionis linguae 326
tendentia ad maiorem expressivitatem 327-329
in syntaxi 327
in vocabulario. 328s
vocabula pleniora 328
composita loco simplicium 329
formae deminutivae 329a
tendentia ad maiorem simplicitatem 330-337
in syntaxi 330
in morphologia 331-337
in declinatione 331
in coniugatione 332-337
uniformitas pluralis cum singulari 332

	NUM.
desinentiae primi aoristi in secundo	333
futurum atticum deficit.	334
nova aorista ex futuro et viceversa	335
ἀ- impurum producitur in ᾱ.	336
verba in -μι cedunt verbis in -ω	337
praecipua phaenomena influxus semitici	338

NB. Libri Novi Testamenti ita indicantur:
Mt Mc Lc Io A R 1 C 2 C G E Ph C 1 Th
2 Th 1 T 2 T T Phm H Ia 1 P 2 P 1 Io 2 Io
3 Io Iud Apc.

I. AD CONCORDIAM SEU CONGRUENTIAM [1]

1) Ad usum pluralis

1. Pluralis indefinitus est phaenomenon sat commune, saltem in linguis quae carent speciali aliquo subiecto indeterminato sicut « man » in lingua germanica vel « on » in lingua gallica. Maiori cum frequentia adhiberi solet in verbis dicendi et narrandi: dicunt, ferunt, tradunt. Quoad alia verba in NT fortasse interdum influxum exercuit tendentia linguae aramaicae ad evitandum passivum e. g. Lc 12, 20 « stulte, hac nocte animam tuam *repetunt* (ἀπαιτοῦσιν) a te » (WELLHAUSEN) [2].

1a. At forsan est interdum potius n o m e n D e i qui hoc modo dicendi circumscribitur sicut et Lc 12, 48 c « cui commendaverunt multum, plus petent ab eo », et Lc 6, 38; cf. etiam Lc 23, 31 (?). Ideo illud « . . . ut recipiant vos in aeterna tabernacula » (Lc 16, 9), si aliunde suadeatur [3], de Deo intellegi potuerit.

---

(1) Patet fontes adhibitos imprimis esse maiores linguae biblicae grammaticas: F. M. ABEL, *Grammaire du Grec Biblique* 1927; DEBRUNNER, *Neutestamentliche Grammatik*[8] 1949; L. RADERMACHER, *Neutest. Grammatik*[2] 1925; J. H. MOULTON — W. F. HOWARD, *Grammar of New Testament Greek*; A. T. ROBERTSON, *A Grammar of the Greek N. T.* Ex aliis operibus, quae generatim non explicite in textu laudantur, debitor sum imprimis GIUS. BONACCORSI, *Primi Saggi di Filologia Neotestamentaria*; DANA-MANTEY, *A Manual Grammar of the Greek N. T.*; IGN. ERRANDONEA, *Epitome Grammaticae Graeco-Biblicae*; PAUL JOÜON, *L'Evangile de N. S. Jésus-Christ.*

(2) Tendentia quaedam aramaica evitandi passivum se manifestare videtur in expressionibus sicut: ἀναβαίνειν « ascendere » dicto de pisce qui sursum *trahitur* Mt 17, 27 vel ἐξέρχεσθαι loco ἐκβάλλεσθαι Lc 8, 2; 4, 41; cf. etiam ἀπελθεῖν εἰς τὴν γέενναν loco βληθῆναι Mc 9, 44.

(3) R. PAUTREL, cfr *Verb. Dom.* 25 (1947) 54ss; 172-76.

2. Pluralem indefinitum speciali quadam frequentia apud Marcum inveniri ostendit C. H. TURNER [1], et hoc in duobus saltem locis alicuius est momenti exegetici, scl. in Mc 3, 22 et 14, 1, nam :

3. apud Mc (3, 22) legimus textum, qui nobis catholicis et Beatissimae Virginis cultoribus primo auditu non bene sonat : « et cum audissent s u i , οἱ παρ' αὐτοῦ, (scl. de multitudinis circa Iesum instantia) exierunt tenere eum, d i c e b a n t enim quoniam in furorem versus est », ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη. Illi « sui » postea in v. 31 declarantur fuisse « mater eius et fratres ». Suntne ipsi necessario illi, qui opinabantur Iesum insanire ? Minime. Verbum ἔλεγον potest considerari ut pluralis indefinitus : in populo « dicebatur », « rumor erat » eum insanire. Hinc etiam melius intellegitur, cur « sui » profecti sint ; sola enim turbae circa Iesum instantia non sufficienter explicat praeoccupationem « suorum ». Ipsum evangelistam revera de tali rumore in populo loqui suadetur ex eo, quod per associationem idearum huic vulgari rumori alium opponit, quem scribae spargebant : καὶ οἱ γ ρ α μ μ α τ ε ῖ ς ἔλεγον ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει. E modo loquendi Marci [2] cum certitudine dici potest emphasim ponendam esse in subiecto οἱ γραμματεῖς, qui aliis opponuntur ; attamen « scribae » cum sua de Iesu opinione apte non nisi p u b l i c a e alteri opinioni opponi posse videntur [3].

4. Etiam Mc 14, 1 inconcinnitas quaedam tollitur et rerum condicio vividius illustratur, si ἔλεγον in sensu pluralis indefiniti intellegitur. Legimus enim : « erat autem Pascha . . . post biduum et quaerebant summi sacerdotes et scribae, quomodo eum dolo tenerent et occiderent, dicebant autem — ita Vg et Mt, Marci vero textus graecus habet ἔλεγον γ ά ρ — : non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo ». Illud γάρ rationem indicat, cur deliberaverint, quomodo eum d o l o caperent, in hoc enim videtur emphasis posita esse. Si autem subiectum manet idem, ita ut ipsi deliberantes sint ii, qui ἔλεγον γάρ, « dicebant enim », exspectaveris oppositum ad « dolo », quod esset « publice », fere ita : « quaerebant quomodo eum d o l o tenerent, dicebant enim : non p u b l i c e et aperta vi . . . ». Ratio autem quae de facto indicatur : « non in die festo . . . » melius intel-

---

[1] *Marcan Usage* in *J. Th. St.* 25 (1924) 377-386.

[2] Cf. M. ZERWICK, *Untersuchungen z. Markusstil*, p. 90.

[3] Qui tamen identitatem subiecti inter ἐξῆλθον et ἔλεγον γάρ retinere malunt, solutionem quaerunt in explicando illo subiecto « οἱ παρ' αὐτοῦ », qui alii intelleguntur ac « mater eius et fratres ». Cf. e. g. A. WIMMER O. S. B. in *Verb. Dom.*, 31 (1953) 131-143.

legitur, si alii (pluralis indeterminatus), contra voluntatem iam decisam capiendi et interficiendi eum occasione illius Paschatis, obiecerunt: « Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo » ita efficientes, ut iam deliberaretur, quomodo periculum tumultus evitari posset dolosa Iesu captione. Sensus igitur esset: quaerebant summi sacerdotes et scribae modum subdolum capiendi eum, obiectio enim facta erat, (apertam) captionem in die festo secum ferre periculum tumultus in populo. Ita tolleretur inconcinnitas illius ἔλεγον γάρ quae, iam inde ab initio notata, ratio videtur fuisse mutandi γάρ in δὲ sicut habet Matthaeus et Vulgata (1).

4a. Affinitatem quandam cum plurali indefinito habet **pluralis generalisationis** vel **categoriae** qui dicitur. Valde frequens est in NT et consistit in eo quod pluralis adhibetur quamvis stricte loquendo de uno solo sermo sit (genus pro individuo), e. g. Mt 2, 20: « Defuncto Herode, ecce angelus ... apparuit Joseph ... dicens: surge ... et vade in terram Israel, *defuncti sunt* enim qui quaerebant animam pueri »; Mt 2, 23: « ... quod dictum est per prophetas » ubi agitur de solo Osea (11, 1). Multa exempla alia enumerat Joüon (2). Fortasse ita explicatur Mt 27, 44 ubi etiam latrones dicuntur Dominum concrucifixum improperasse, quamvis hoc de solo altero eorum verum esse videatur.

4b. Patet recursum ad hoc phaenomenon etiam abusui patere e. g., si quis apparitionem Jesu Magdalenae concessam (Mc 16, 9; Io 20, 14-18) eandem habuerit ac eam in qua apud Mt 28, 9 s Jesus dicitur apparuisse *mulieribus* (supposito plurali categoriae).

4c. Alius usus pluralis pro una persona habetur in **plurali epistulari** (quo scriptor quodammodo lectores sibi associat). Hic pluralis in epistulario Paulino videtur rarus esse, sed adest. Afferuntur e. g. R 1, 5; 1 Th 2, 18, imprimis autem promiscuitas inter pluralem et singularem in 2 C 10,1 - 11, 6, ubi Paulus certe de se solo loquitur. Hinc precarium est velle pluralem « nos » apud Paulum semper intellegere de Apostolo et sociis eius. — Meecham qui similem permixtionem in Epistula Aristeae invenit (3) pluralem epistularem habet sollemniorem, singularem potius colloquialem.

---

(1) Cf. Turner, loco cit., p. 384 s.

(2) Mt 14, 9; 22, 7. 24; 22, 24; 24, 26; Mc 4, 10; 7, 37; Lc 5, 21; 8, 39; Jo 6, 14. 26; 8, 24; 9, 3. 16. 34; 10, 21; 13, 4.

(3) H. G. Meecham *The Letter of Aristeas* p. 102 s.

2) Indeclinabilia

5. Ph 2, 1 S. Paulus admonitionem suam quadruplici obsecratione introducit

εἴ τις οὖν παράκλησις ἐν Χριστῷ	Si qua ergo consolatio ...
εἴ τι ((l. v. τις) παραμύθιον ἀγάπης	si quod solatium caritatis
εἴ τις κοινωνία πνεύματος	si qua societas spiritus
εἴ τις σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί ...:	si qua viscera miserationis.

Quaeritur utrum defectus congruentiae in quarto membro et in l. v. secundi membri tolerari possit, ita ut ubique legatur τις et sensus esset : si qua (est) exhortatio etc. Huic quaestioni responderi potest ex parte graecitatis hellenisticae : forma neutrius τι in papyris indeclinabiliter adhibetur, neglecta scl. concordia quoad genus et numerum e. g. : ἐπί τι (loco τινα) μίαν τῶν. . . οἰκιῶν « in quamdam domorum » (P. Par. 15, saec. 2 a. C.) vel : ἐὰν δέ τι ἄλλα ἀπαιτηθῶμεν « si quae alia ex nobis postulentur » (P. Amh. II 85, 11 ex anno 78 p. C.). Non igitur nimiam admirationem deberet movere, si etiam forma τις similiter ac τι indeclinabiliter adhiberetur. At cum hoc exemplis fulciri non possit, sunt qui praetulerint (nimis utique mutantes textum) in omnibus quattuor membris legere τι, quod deinde duplicem admitteret versionem : aut ratione habita illius hellenisticae indeclinabilitatis pronominis τι vertitur : « si qua (est) exhortatio etc. » ; aut τι consideratur ut accusativus et vertitur ; « si quid (scil. valet) exhortatio in Christo ».

5ª. Cum ex numeralibus 1-100 sola prima quattuor sint declinabilia, nil mirum si in his quoque tendentia quaedam se manifestat ad usum indeclinatum. Ita invenitur Mc 14, 19 et Io 8, 9 formula εἷς καθ' εἷς (loco εἷς καθ' ἕνα) = singuli, singilatim (cf. etiam ἓν καθ' ἕν Apc 4, 8). — Similiter invenitur τέσσαρες etiam pro acc. τέσσαρας, in NT quidem solummodo Apc 4, 4 (l. v.), sed frequenter in codicibus LXX et in papyris.

6. Aliud vocabulum, quod inde a saeculo secundo a. C. ostendi potest occurrere indeclinabiliter, est πλήρης. Hic usus vulgaris est, invenitur autem in LXX e. g. Iob 21, 24, in compluribus lectionibus variantibus NT, scl. ad A 6, 3. 5 ; 19, 28 ; Mc 4, 28 ; 8, 19 ; 2 Io 8,

imprimis autem et ab omnibus in ipso textu acceptum apud Io 1, 14: «et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre plenum gratiae et veritatis» πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Hic vulgarismus in prologo S. Ioannis ab A. Deissmann dicitur quasi flos campestris in mediis marmoribus, ostendens indolem evangelii a contemporanea lingua vulgari minime alienam. Cum igitur πλήρης loco nostro ut indeclinabile considerari possit immo debeat, forma, non sicut factum est, nescio quibus artificiis ut nominativus iustificanda est, sed, saltem ex parte linguae, optio manet et libertas referendi πλήρης sive ad accusativum δόξαν sive ad genitivum αὐτοῦ (1).

7. Huc aliquo modo spectare videtur etiam πᾶν quod interdum resistit debitae congruentiae et quod tamquam πᾶσα in Graeco moderno de facto evasit indeclinabile. Hinc fortasse est, quod habetur πᾶσα Ἱεροσόλυμα, quod Mc 12, 28 legitur ποία ἐστὶν ἐντολὴ πρώτη πάντων (loco πασῶν), (nisi πρῶτον trahendum est ad id quod sequitur, ubi fortasse cum minusculis legendum est πρῶτον: πάντων πρῶτον [Debrunner 164, 1]); tandem quod πᾶν etiam de personis adhibetur: Io 17, 2: ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσει αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον.

3) Defectus congruentiae in participiis

8. In lingua vulgari appositiones et imprimis **participia** ostendunt inclinationem neglegendi congruentiam debitam tum quoad casum, tum quoad genus. Ita e. g. in papyraceis apochis (i. e. in pecuniae acceptae testimoniis) invenitur iteratim formula: ἀπέχω παρ' αὐτοῦ τὸν ὁμολογοῦντα «accepi ab eo debitore» (P. Amherst II, 111-113 ex anno 128 p. C.), vel ex tempore Ptolemaico: ἀδικούμεθα ὑπὸ Ἀπολλωνίου ἐμβάλλων (loco ἐμβάλλοντος) ἡμᾶς εἰς τὴν στερεὰν πέτραν (2). Huiusmodi incongruentiae appositionum, imprimis in participiis, occurrunt, et quidem mira cum frequentia, in vulgarissimo libro NT, in Apocalypsi, cf. 1, 5; 2, 13, 20; 3, 12; 8, 9; 14, 12; 17, 3; 20, 2. Accedunt cum speciali frequentia participia verbi λέγειν e. g. 2, 20: ἔχω κατὰ σοῦ ὅτι ἀφεῖς τὴν γυναῖκα Ἰεζάβελ, ἡ λέγουσα ἑαυτὴν προφῆτιν. Cf. etiam 3, 12; 9, 14; 11, 15; 14, 6; 19, 20 etc.

---

(1) Cf. Debr. 157, Deissmann *LO*4 p. 99 s., Mayser, *Grammatik d. griech. Papyri* . . ., p. 63.

(2) Apud Preisigke, *Wörterbuch*, hic textus citatur sub voce ἐμβάλλω ut Petr II 4, 1, 2.

8a. Haec frequentia deficientis congruentiae in participio verbi λέγειν explicanda videtur ex influxu invariabilis formulae *le'mor* qua hebraice oratio directa introducitur. Nota quomodo Apc 11, 1 λέγων ad modum formulae orationem directam introducit non habens quicquam in propositione ad quod participium (vel logice tantum) se referat.

Ne ipse Lucas quidem a tali incongruentia immunis est, si scl. (cum plerisque editoribus) recte legitur 20, 27: ... τινες τῶν σαδδουκαίων οἱ ἀντιλέγοντες (loco τῶν ἀντιλεγόντων) ἀνάστασιν μὴ εἶναι.

Exegesim autem hoc phaenomenon tangit in uno solo casu, apud Mc 7, 19 ubi legimus in quaestione de puris et impuris cibis: καὶ λέγει αὐτοῖς· ... οὐ νοεῖτε ὅτι πᾶν τὸ ἔξωθεν εἰσπορευόμενον ... (sequuntur tres saltem lineae!) ... εἰς τὸν ἀφεδρῶνα ἐκπορεύεται, καθαρίζων πάντα τὰ βρώματα. Sunt qui referant participium καθαρίζων ad Iesum, subiectum distantissimi illius καὶ λέγει αὐτοῖς, supplendo: « et haec dixit » purificans i. e. mundas declarans omnes escas, ita ut verba haec non sint Domini, sed constituant adnotationem evangelistae (1). Sunt tamen qui καθαρίζων sumant pro καθαρίζοντα referentes participium ad vocem ἀφεδρῶνα proxime antecedentem et vertant: « in latrinam abit quae sordes amovet » (2). Contra hoc autem, ut vidimus, saltem ex parte linguistica non esset quod obiiciatur, — si essemus in Apocalypsi et non in Marco, ubi hic casus nimis videtur singularis (3).

4) Attractio relativi

9. Attractio relativi, qua casus pronominis relativi ex suo proprio in casum antecedentis attrahitur, in lingua hellenistica et biblica

(1) Origenes, Jülicher, A. Schlatter, moderni plerique.

(2) Zorell, Knabenbauer (Klostermann, Debr. 126, 3; 137, 3).

(3) Provocant ad accusativum ὑποδεδεμένους in Mc 6, 9, ubi grammaticaliter nominativus exspectaretur (**279**), et ad Mc 12, 40, ubi οἱ κατεσθίοντες ... καὶ ... προσευχόμενοι fortasse ad (valde distantem) genitivum ἀπὸ τῶν γραμματέων (v. 38) referendi sunt. — Ceterum fortasse admonemur, ne defectum congruentiae in participio nimis limitemus ad textus vulgares, invenientes in Actibus, immo in sermone quem S. Paulus coram Agrippa et Festo habuit, similem casum: 26, 2. 3 ἥγημαι ἐμαυτόν μακάριον ἐπὶ σοῦ μέλλων ... ἀπολογεῖσθαι μάλιστα γνώστην ὄντα σε πάντων ...

est frequens sicut in classica. Apud Mt quidem ter tantummodo habetur (18, 19; 24, 50 et 25, 24: ὅθεν = ἐκεῖθεν οὗ) apud Mc semel (7, 13), sed apud Lc est constructio valde communis.

10. Plerumque (idque classice) est a c c u s a t i v u s pronominis relativi qui in alium casum attrahitur (e. g. μνημονεύετε τοῦ λόγου οὗ ἐγὼ εἶπον ὑμῖν Io 15, 20), sed hellenistice haud raro etiam relativum quod deberet stare in d a t i v o (locali, instrumentali etc.) in alium casum attrahitur e. g. ἄχρι τῆς ἡμέρας ἧς (loco ᾗ) ἀνελήμφθη, vel in frequenti breviloquentia μέχρι οὗ quod ortum est ex μέχρι τοῦ χρόνου ᾧ.

11. Maior elegantia interdum efficit ut nomen ex antecedente in ipsam propositionem relativam transferatur e. g. R 4, 17: κατέναντι οὗ ἐπίστευσεν Θεοῦ = κατέναντι τοῦ Θεοῦ, ᾧ ἐπίστευσεν; vel A 25, 18: οὐδεμίαν αἰτίαν ἔφερον ὧν ἐγὼ ὑπενόουν πονηρῶν = τῶν πονηρῶν ἃ ἐγὼ ὑπενόουν. Attractio casus antecedentis (transpositi) in casum relativi durior habetur A 21, 16: συνῆλθον . . . ἄγοντες παρ' ᾧ ξενισθῶμεν Μνάσωνί τινι «ducentes (nos ad) Mnasonem, apud quem hospitaremus».

12. Attractio relativi i n v e r s a habetur, si casus a n t e c e d e n t i s attrahitur in casum relativi sequentis: «l a p i d e m quem reprobaverunt aedificantes, h i c factus est in caput anguli» (Mt 21, 42). Item in hymno «Benedictus» Lc 1, 72 s, ubi accusativus ὅρκον loco ὅρκου post μνησθῆναι non intellegi potest nisi per attractionem inversam ad subsequens ὃν ὤμοσεν. Confer etiam Lc 12, 48; 20, 17; A 10, 36; 1 C 10, 16.

13. Res paululum difficilior evadit, si simul cum attractione inversa habetur antecedentis in propositionem relativam translatio. Ita mirum illud ἣν ἐνεκαίνισεν ἡμῖν ὁδὸν . . . H 10, 20 fortasse resolvendum est in τῇ ὁδῷ ἣν ἐνεκαίνισεν ἡμῖν.

13[a]. Arctus nexus inter relativum et antecedens suum illustratur etiam ex eo quod praepositio, quae cum antecedenti stat, apud relativum omitti potest e. g. A 13, 2 . . . εἰς τὸ ἔργον ὃ (= εἰς ὃ) προσκέκλημαι αὐτούς item cum ἀπό 13, 38.

II. AD CASUS

1) Ad nominativum

14. Nominativus « pendens » (qui appellatur etiam vel « absolutus » vel « relationis » [scl. pro « quod attinet ad »]) est anacoluthon valde frequens in omni sermone vulgari et consistit in eo, quod subiectum l o g i c u m (quod non simul sit subiectum grammaticale) emphatice in initio ponitur et quidem in nominativo, quasi adhuc extra constructionem propositionis. In ipsa propositione deinde ille conceptus anticipatus resumitur per pronomen in debito suo casu e. g. A 7, 40 : ὁ Μ ω υ σ ῆ ς οὗτος . . . οὐκ οἴδαμεν τί ἐγένετο α ὐ τ ῷ vel Apc 2, 26 : ὁ ν ι κ ῶ ν καὶ ὁ τηρῶν . . . τὰ ἔργα μου . . . δώσω α ὐ τ ῷ ἐξουσίαν.

15. Invenitur quidem in eodem capite etiam τῷ νικῶντι δώσω, sed pleonastice additur etiam ibi αὐτῷ idque omnino secundum idioma semiticum, quod tantopere amat substantivum in casu pendente antepositum pronomine resumere, ut quasi sponte idem faciat, etiam ubi illud substantivum iam casum a constructione postulatum habeat.

16. Huiusmodi semitismi, in textu nostro synopticorum ex parte eliminati, in codice D interdum conservati sunt, e. g. Mt 10, 11, ubi hodie legimus omnino correcte : εἰς ἣν δ' ἂν πόλιν . . . εἰσέλθητε . . . , codex D habet admodum semitice ἡ π ό λ ι ς εἰς ἣν εἰσέλθητε εἰς α ὐ τ ή ν . . . Confer eiusdem codicis D lectiones variantes ad Mt 5, 40 ; 17, 14 ; Mc 1, 34.

17. Tres igitur constructiones haberi possunt et omnes tres in eodem contextu simul inveniuntur apud Mt 5, 39-42 : ὅ σ τ ι ς σε ῥαπίζει . . . στρέψον α ὐ τ ῷ (nominativus pendens) . . . καὶ τ ῷ θ έ λ ο ν τ ι (D ὁ θέλων...) λαβεῖν ἄφες α ὐ τ ῷ (pleonastice) . . . τῷ α ἰ τ ο ῦ ν τ ί σε δὸς καὶ τὸν θέλοντα . . . μὴ ἀποστραφῇς (classice).

18. Nominativus pendens est tantummodo frequentissima forma « c a s u s pendentis », qui potest esse etiam genitivus, dativus, accusativus. Hi casus utique plerumque determinantur per attractionem

relativi «inversam». Pro accusativo vide supra (**12**) et nota exemplum paululum velatum 2 C 12, 17 μή τ ι ν α ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς, δι' α ὐ τ ο ῦ ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς, ubi τινα determinatur ab ὧν quod stat pro ἐκείνων οὕς. — Pro dativo vide Lc 12, 48 π α ν τ ὶ δὲ ᾧ ἐδόθη πολύ, πολὺ ζητηθήσεται π α ρ' αὐτοῦ.

19. Exempla iam allata ostendunt nominativum (vel casum) pendentem speciali cum frequentia inveniri in forma participii et propositionis relativae (e. g.: « q u o t q u o t autem receperunt eum, dedit e i s potestatem...» Io, 1, 12). C.F. BURNEY [1] enumerat 27 nominativos pendentes ex quarto evangelio et in hac frequentia novum sibi videtur habere argumentum pro thesi sua secundum quam evangelium S. Ioannis esset translatio ex textu originali aramaico.

20. Altera ex parte est qui influxum semiticum in idiomate nostro non agnoscat nisi ubi nominativus pendens est πᾶς vel stat cum πᾶς, apud Io igitur non nisi 6, 39; 15, 2; 17, 2: ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν ἵνα π ᾶ ν ὃ δέδωκας αὐτῷ δώσει α ὐ τ ο ῖ ς ζωήν. Et de facto nominativus pendens cum πᾶς videtur in hebraico speciali cum frequentia et (pro nostro gustu) speciali cum duritie occurrere. Confer exemplum tam durum sicut 1 Sam 2, 13 quod litteraliter graece versum legeret ita: π ᾶ ς θ ύ ω ν θυσίαν, καὶ ἤρχετο ὁ παῖς τοῦ ἱερέως... pro «quotiescumque quis sacrificium obtulit, veniebat puer sacerdotis...».

Voluimus in his paululum immorari quia illustrant mentem semiticam hagiographorum qui ex influxu linguae suae vernaculae admodum popularis maiori cum frequentia modum dicendi adhibent, cuius exempla inveniuntur in graecitate antiqua, media et moderna nec desunt in aliis linguis ubicumque habetur sermo popularis et colloquialis.

21. Loco nominativi in praedicato, non quidem contra spiritum linguae graecae, tamen in lingua biblica fere certo ex influxu semitico (hebraice *le*) subintrat εἰς cum accusativo post γίνεσθαι et εἶναι (vel potius ἔσεσθαι quod magis ad γίνεσθαι accedit), idque plerumque in citationibus ex VT: ἔσονται οἱ δύο ε ἰ ς σάρκα μίαν ubi Mt prosequitur ὥστε οὐκέτι εἰσὶν δύο ἀλλὰ σὰρξ μία Mt 19, 5. 6.

---

(1) *The Aramaic Origine of the Fourth Gospel* 34; 63 ss; 151.

Confer etiam Mt 21, 42: «lapidem quem reprobaverunt aedificantes factus est in caput anguli (ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας)». Cum εἶναι (non ἔσεσθαι) praedicatum cum εἰς in NT habetur tantummodo 1 Io 5, 8 οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν.

22. Quod formam attinet **nominativus et vocativus** graecus plerumque coincidunt. Distinguuntur enim in solo numero singulari generis masculini et feminini et ne hic quidem semper. Hinc tendentia quaedam ad eliminandam distinctionem etiam ibi, ubi vocativus haberet propriam suam formam e. g. Io 17, 25: πατὴρ δίκαιε, ubi adiectivum ostendit auctorem sumere πατήρ tamquam vocativum. Insuper in secundis membris et in appositionibus ad vocativum semper ponitur nominativus cum articulo e. g. Apc 18, 20: εὐφραίνου οὐρανὲ καὶ οἱ ἅγιοι καὶ οἱ ἀπόστολοι...; 15, 3: Μεγάλα τὰ ἔργα σου, Κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ.

23. Ideo iam classice loco vocativi invenitur nominativus cum articulo. Ubi tamen in NT idem occurrit, potius de influxu semitico cogitandum est. In hebraico enim nominativus cum articulo est unicus modus exprimendi vocativum, cui in aramaico correspondet status emphaticus e. g. apud Mc 5, 41, ubi ab ipso Evangelista Ταλιθὰ κούμ ad verbum vertitur: τὸ κοράσιον, ἔγειρε. Similiter Ἀββᾶ, ὁ πατήρ Mc 14, 36; R 8, 15; G 4, 6 etc. Etiam dictum Elisabeth Lc 1, 45 vividius intellegitur si ἡ πιστεύσασα sumitur ut directa allocutio in sensu vocativi: μακαρία ἡ πιστεύσασα quod recte a Vulgata in secunda persona vertitur: «beata quae c r e d i d i s t i . . . .». Item Vulgata recte prosequitur «quoniam perficientur ea quae dicta sunt t i b i» quamvis textus graecus tertiam habeat personam: ...τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ.

2) Ad vocativum

24. **Ὦ in vocativo.** In lingua classica vocativus generatim adhibebatur cum interiectione ὦ, omissio igitur interiectionis erat exceptio, de cuius ratione in singulis casibus utiliter quaeri potest. In lingua hellenistica res inversa est. Omissio interiectionis evasit quasi regula (et ideo omni vi caret); ubi igitur per exceptionem in NT interiectio ὦ invenitur, iure merito specialem suspicaberis rationem. De facto ὦ, si excipis Actus, occurrit ibi, ubi iam contextus magnum suggerit loquentis affectum. E. g. Dominus ad mulierem Chananaeam, cuius profunda et quasi inexspectata humilitate vel ipse commotus est:

ὦ γύναι, μεγάλη (nota positionem emphaticam!) σου ἡ πίστις Mt 15, 28. Vel e contrario Dominus quasi ingemiscens de incredulitate populi ad patrem flagitantem sanationem filii lunatici: ὦ γενεὰ ἄπιστος, ἕως πότε πρὸς ὑμᾶς ἔσομαι; ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν; Mc 9, 19 et parr.; cf. Lc 24, 25. Vel nota sancti Pauli indignatam admirationem, qua prorumpit in illud ὦ ἀνόητοι Γάλαται, « o insensati Galatae, quis vos incantavit? » G 3, 1 (cf. 1 T 6, 20; 6, 11 [?]; Iac 2, 20). Non puto esse, qui in interpretanda S. Scriptura negligendum putaverit signum aliquod, quod in omni sua parvitate nos magis sentire facit affectum, quo aliquando commotus fuit animus Domini vel Apostoli eius (1).

Altera ex parte non sine quadam mentali delectatione legimus Lucam, eruditum scriptorem, in primo versiculo Actuum alloquentem fautorem et amicum suum cum ὦ Θεόφιλε, ut patet, hic sine emphasi, sed in perfecta graecitate, quam ut in dedicatione adhiberet, blanda urbanitas sua scriptori suggessit (nota etiam positionem vocativi non in initio positi, sed post prima verba tandem interiecti). Hic atticus modus non emphatice adhibendi ὦ in solis invenitur Actibus (2). Ita Gallio Iudaeos alloquitur: ὦ Ἰουδαῖοι, item omnino classice non in initio sermonis sed intericiens vocativum primis verbis praemissis A 18, 14.

3) Ad genitivum

25. Genitivus « generalis ». Inter divisiones, quibus grammatici solent in ordinem redigere uberrimam varietatem genitivorum, utilitate et claritate excellere videtur distinctio inter genitivum subiectivum et obiectivum, secundum quam e. g. « amor patris » duas res valde diversas significare potest, amorem scl. quo pater amat (seu subiectum est amoris) et amorem quo pater amatur (seu obiectum est amoris). At hîc cavendum est, ne in interpretando textu sacro sensūs claritati sacrificetur aliquid ex sensus plenitudine. Exemplo sit « Caritas Christi urget nos » (2 C 5, 14). Estne « Christi » genitivus obiectivus an subiectivus? Respondemus: nec unum nec alterum plenitudini textus

---

(1) Etiam in LXX (excepto IV Mach) interiectio ὦ non nisi emphatice adhibetur cf. M. Johannessohn, *Der Gebrauch der Kasus . . . in der Septuaginta,* (1910), p. 8-13.

(2) Cf. Debr. 146 qui se refert ad Brugmann-Thumb⁴ 432.

satisfacit, non genitivus obiectivus (Pauli caritas erga Christum), quia Paulus obiectum amoris solet reddere cum εἰς (cf. C 1, 4), et ratio addita loquitur de amore quem Christus nobis ostendit moriendo pro omnibus ; et tamen nec plene correspondet genitivus subiectivus (Christi amor erga nos), quia illa caritas « urgens » consideratur tamquam vis viva operans in anima Apostoli. Aliis verbis, non possumus subsumere sub alterutra specie genitivi illud « caritas Christi », quin perdamus aliquam partem plenitudinis, quam illa phrasis utique « in confuso » complectitur. Significare enim potest caritatem, quam Christus morte sua et resurrectione (cf. R 4, 25 !) erga nos ostendit p r o u t cognita (idque ipso Christo in anima fidem operante) animam Apostoli irresistibili impetu ad redamandum impellit.

26. Vel si legis S. Paulum scribentem de « Evangelio Christi », noli quaerere, sitne ille genitivus obiectivus an subiectivus, est enim uterque et aliquid ultra. Nam quaerentes, cur evangelium dicatur « Christi », ex plena vi huius genitivi excludere non licet quicquam ex tribus vel quattuor ideis hisce : « Christi » dicitur esse evangelium 1) quia est laetus nuntius, quem Christus attulit et primus promulgavit (gen. subiectivus), 2) quia est laetus nuntius, cuius obiectum et argumentum est ipse Christus (genitivus obiectivus), 3) quia est laetus nuntius, qui ab Apostolo praedicatur ἐν Χριστῷ i. e. Christo iubente, praesente, adiuvante et cooperante in praedicatore et eius auditoribus (genitivus auctoris, si vis).

27. Simile quid recole si legis 2 Th 3, 5 « Dominus autem dirigat corda vestra in caritate Dei et in patientia Christi » (εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ), nam apud S. Paulum « patientia Christi » in anima fidelium plus dicit quam patientia exercita in imitationem Christi patientis. Non enim solam patientiam, sed ipsas suas passiones Paulus dicit « passiones C h r i s t i » (2 C 1, 5). Cur ita ? quia sunt passiones toleratae pro Christo ? utique, sed non tantum ideo ; an forte quia toleratae in imitationem Christi ? sane ita, sed non tantum ideo ; an fortasse etiam quia toleratae « in Christo », ipso in membris corporis sui mystici adimplente ea quae desunt passionum capitis ? Profecto et fortasse imprimis ideo !

Similes considerationes institui possunt de : « circumcisio Christi » C 2, 11, « fides Jesu Christi » R 3, 22. 26, « oboedientia fidei » R 1, 5, « caritas Dei » R 5, 5, διακονία πνεύματος « ministratio Spiritus » 2 C 3, 8, « iustitia Dei » R 10, 3 etc.

28. Procul dubio, si Paulus loquitur de « iis qui Christi sunt », οἱ τοῦ Χριστοῦ 1 C 15, 23, hoc genitivo amplectitur medullam evangelii sui, mysticam unionem fidelium cum capite Christo, idem illud quod in

simillimo contextu 1 Th 4, 16 exprimit solemniore apud ipsum formula « in Christo ». Hinc est, cur fuerit, qui locutus sit de « genitivo mystico » apud S. Paulum (A. Deissmann). Hinc est, cur integer liber editus sit sub titulo : « Unio cum Christo apud Paulum illustrata ex modo quo genitivus ab Apostolo adhibetur » [1]. In hoc libro optime ostenditur, quomodo divisiones, quas grammatici ad genitivum applicant, utiles quidem, sed precariae et necessario insufficientes sint. Ab auctore genitivo quasi restituitur fundamentalis eius vis, quae est indicare meram pertinentiam unius notionis ad alteram. Qualis sit illa pertinentia, qualis sit relatio inter illas notiones, a natura earum et a contextu dependet, et ideo per se tantuplex est usus et vis genitivi quantupliciter duo conceptus inter se esse possunt relati. Si igitur repetimus quaestionem illam : qualis est genitivus e. g. in « Evangelium Christi », estne subiectivus an obiectivus an auctoris etc., hîc et in multis, iisque gravissimis textibus, respondemus : non est ullus ex illis *solus*, sed est genitivus « generaliter determinans », indicans generalem pertinentiam huius evangelii ad Christum. Quae et quanta sit tota plenitudo huius relationis non iam a genitivo, misero ex se signo conventionali, pendet, sed a contextu, qui hîc est universa S. Pauli de evangelio Christi theologia. Et ideo titulus illius libri benemeriti non deberet esse « unio mystica apud Paulum in luce genitivi . . . » sed potius « genitivus apud Paulum in luce theologiae eius mysticae » ; haec enim est, quae lucem dat, non genitivus [2].

29. Genitivus « hebraicus ». Ad hunc genitivum « generalem » ex speciebus a grammaticis statutis proxime accedit genitivus attributivus vel qualitatis, qui etiam « hebraicus » dicitur, quia et quatenus eius provincia in graecitate biblica sub influxu idiomatis semitici extenditur ad multas expressiones, quae a Graecis simplici adiectivo redderentur, a Semitis autem propter eximiam inopiam adiectivorum genitivo circumscribuntur. Notissima exempla sunt : ὁ οἰκονόμος τῆς ἀδικίας (= ἄδικος)... ὁ μαμωνᾶς τῆς ἀδικίας « lucrum iniquum » ; Lc 16, 8. 9; ἀκροητής ἐπιλησμονῆς « auditor obliviositatis » = « auditor obliviosus » Iac 1, 25. Hinc cavendum est, ne modus hic loquendi, a nostro occidentalium modo dicendi interdum sat alienus, seducat ad hoc, ut nescio

---

(1) « *Die Christusgemeinschaft des Paulus im Lichte seines Genitivgebrauchs* » O. Schmitz, 1924.

(2) Ad rem conf. etiam A. Wikenhauser, *Die Christusmystik des Heiligen Paulus. Bibl. Zeitfr.*, XI, fasc. 8-10, p. 16 ff.

quid profundi eruatur, ubi simplex adiectivum nostrum rem plene reddit. Ita οἱ λόγοι τῆς χάριτος ex ore Domini in Lc 4, 22 sunt « verba iucunda » ; πάθη ἀτιμίας R 1, 26 sunt « passiones ignominiosae » ; σκεῦος ἐκλογῆς A 9, 15 est « instrumentum (vas) electum », at non obstante externa similitudine σκεύη ὀργῆς et ἐλέους R 9, 22. 23 sunt vasa quasi impleta irā Dei misericordiāve [1].

30. Etiam magis hic modus dicendi semiticus a nostro (occidentali) modo recedit, si pronomen, quod nos cum substantivo coniungeremus, genitivo adiunctum est e. g.: « virga virtutis tuae » (Ps 109, 2) = potens sceptrum tuum ; vel « thronus gloriae eius » (Mt 19, 28) = gloriosus eius thronus ; vel R 7, 24 « quis me liberabit de corpore mortis huius » = de hoc mortifero corpore ; Ph 3, 21 « corpus humilitatis nostrae » = humile nostrum corpus ; H 1, 3 « verbo virtutis suae » = potenti suo verbo ; Apc 13, 3 « plaga mortis eius » = vulnus eius mortale [2].

31. Relatio quaedam intima ad aliquem vel ad aliquid, non quidem exclusive, sed in litteratura nostra certo praevalenter semitice, exprimitur per υἱός « **filius** » **cum genitivo.** Hic usus latior vocis υἱός facilius intellegitur, ubi de pertinentia ad personam agitur. Ita « filius » alicuius dicitur ille, qui eius indolem, mores, rationem agendi et sentiendi imitatur et in vita sua exprimit. Hoc sensu sermo est de « filiis Abrahae » G 3, 7, de « filiis diaboli » A 13, 10 ; Mt 13, 38 (cf. Io 8, 39-44) et imprimis de « filiis Dei » Mt 5, 9. 45.

32. Mirus nobis est usus vocis υἱός cum genitivo rei vel alicuius abstracti. Relatio quae hoc modo exprimitur est alia et alia pro diversitate materiae subiectae. Ita in VT robusti dicuntur « filii robo-

---

(1) Cf Bl.-Debr. 165 et amplam collectionem exemplorum compositam ab U. Holzmeister in *Z. f. k. Th.*, 41 (1917), 317-21 qui tamen in eadem specie semitismorum ponit etiam exempla, quae intrinsecus differunt, sicut : « in novitate vitae ambulare » R 6, 4, quod si huc pertineret, verti deberet : « In viva novitate », quia ex supposito genitivus stat pro adiectivo. Quod substantivum ponitur loco adiectivi emphatici nihil habet specifice semitici, sed postulatur e. g. etiam a stilistica latina. « Novitas vitae » pro « vita nova », « sublimitas sermonis » (1 C 2, 1) pro « sermo sublimis » possent citari ut exempla elegantiae latinae.

(2) Valet lex generalis : linguae semiticae in expressionibus compositis suffixum semper alteri membro addunt quamvis ad totum pertineat compositum.

ris », contumaces « filii contumaciae », qui morte dignus est « filius mortis », qui verberibus « filius verberum ». Milites qui arci praesidio sunt υἱοὶ τῆς ἄκρας dicuntur 1 Mach 4, 2. Similiter in NT resurrecturi dicuntur « filii resurrectionis » Lc 20, 36 ; qui pace dignus est « filius pacis » appellatur. « Filii huius saeculi » opponuntur « filiis lucis » Lc 16, 8 ; « filii lucis et filii diei » 1 Th 5, 5 ii sunt, qui pertinent ad regnum lucis et orti solis, quae pertinentia appareat oportet in tota vitae eorum ratione. Amici sponsi et convivae nuptiales dicuntur υἱοὶ νυμφῶνος i. e. filii domus ubi nuptiae celebrantur (non sicut habet Vg filii s p o n s i quod esset νυμφίου) (Mt 9, 15). — Eodem sensu etiam τέκνον adhibetur E 2, 3 ; G 4, 28 ; 1 P 1, 14 ; 2 P 2, 14 ; Lc 7, 35 etc.

32a. Hic est unus tantum modus ex ampliori genere dicendi omnium semiticarum linguarum proprio, quo vel conditio vel qualitas alicuius personae vel rei, deficiente adiectivo, circumscribitur substantivis vir, filius, filia, mater, pater, dominus cum genitivo e. g. « viri nominis » = alti magistratus ; « vir verborum » = eloquens ; « dominus capilli » = pilosus, comosus ; « vir linguae » = calumniator ; « dominus irae » = iracundus ; « mater viae » = bivium ; « filius horrei mei » = populus meus conculcatus (Is 21, 10); « filius pinguedinis »= terra pinguis etc. cf Johannessohn, *Der Gebrauch der Kasus . . .*, pp. 29-32.

33. Genitivus epexegeticus. Inter varia genera genitivi exegetice specialem attentionem meretur genitivus appositionis seu epexegeticus, utpote qui pro relativa sua raritate saepe non statim ut talis agnoscatur et tamen interdum apparentis difficultatis unicam praebeat solutionem. Ex multis exemplis quae U. Holzmeister ex NT collegit (1) ecce aliqua maioris momenti : « signum Ionae » Mt 12, 39 non est signum quod Ionas dederit vel acceperit, sed quod ipse propheta e r a t ; « accipietis donum Spiritus Sancti » A 2, 38 intellegendum est non de dono quod Spiritus Sanctus dabit sed de ipso Spiritu Sancto tamquam dono ; similiter 2 C 1, 22 « pignus Spiritus Sancti ». Ubi Christus dicitur descendisse « in inferiores partes terrae » E 4, 9, res videtur non intellegenda de descensu ad inferos sed de descensu in ipsam hanc terram quae dicitur inferior relate ad caelum ; Christus « caput corporis Ecclesiae » C 1, 18 est caput corporis quod est Ecclesia.

---

(1) *Verb. Dom.* 25 (1947) 112-117.

« Corona vitae » Apc 2, 10 est corona quae consistit in vita aeterna. « Iustificatio vitae » R 5, 18 videtur esse iustificatio quam vita secum fert, quae in vita consistit. « Vinea terrae » Apc 14, 18 est terra metaphorice appellata « vinea ». Tandem « pater diaboli » Io 8, 44 non recte intellegi potest, nisi « diaboli » agnoscatur ut genitivus epexegeticus ; et ita ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ a Vg recte vertitur : « vos ex patre diabolo estis ». (Etiam in fine huius versus apparenter tantum de aliquo patre diaboli sermo est, nam illud ψεύστης ἐστὶν καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ dicit : diabolus est mendax et pater m e n d a c i i . Ὁ πατὴρ αὐτοῦ est praedicatum, non novum subiectum praeter diabolum).

33ᵃ. Nil mirum, si saepe res incerta manet, e. g. E 1, 14 Spiritus Sanctus dicitur « pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis » εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, quod alii intellegunt : « in redemptionem quae est acquisitio » i. e. qua fimus possessio Dei (vel active : in qua nos acquirimus scl hereditatem), alii genitivum habent obiectivum et (acquisitionem intellegentes tamquam abstractum pro concreto) vertunt : in redemptionem eorum quos (Deus) sibi acquisivit i. e. patrimonii Dei. Vel G 5, 5 : « nos ex fide *spem iustitiae* exspectamus ». « Iustitiae » potest sumi ut gen. epex. si « spes » concrete intellegitur = bonum speratum : nos expectamus speratam iustitiam (= vitam aeternam) vel ut gen. subiectivus : nos expectamus bona quae iustitia (= iusti) sperat. — Est etiam qui velit intellegere vel illud « signum Filii Hominis in caelo » Mt 24, 30 ut signum quod est Filius Hominis = glorificationem Christi resuscitati cum haud parvo emolumento pro interpretatione sermonis eschatologici (cf. Feuillet in *Rev. Bibl.* 56 [1949], p. 354).

33ᵇ. Pluralitas genitivorum. Ubi duo genitivi ab eodem nomine pendent, Paulus eos, nomine in medio posito, separare solet e. g. 2 C 5, 1 ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους terrestris nostra (gen. poss.) domus tabernaculi (Debr. 168). Ubi, sicut saepe apud Paulum, genitivi cumulantur, genitivus subsequens a praecedenti pendere solet e. g. 2 C 4, 4 τὸν φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου (gen. auctoris) τῆς δόξης (gen. obi.) τοῦ Χριστοῦ. Tamen non desunt exceptiones, si genitivus articulo caret et a praepositione pendet e. g. 2 C 3, 18 « transformamur . . . in claritatem καθάπερ ἀπὸ Κυρίου πνεύματος potest verti cum Vg « tamquam a Domini Spiritu » ; cf. Mt 24, 31 (Debr. 168, 2 ; 474, 4).

34. Genitivus absolutus proxime accedit ad ea quae supra dicta sunt de nominativo pendenti et aliis casibus « absolutis ». Exhibet

enim secundariam aliquam propositionis determinationem tamquam syntactice independentem. Classice hic modus dicendi adhiberi solet tantummodo si subiectum genitivi absoluti in propositione principali non occurrit, nec ut subiectum nec in alia functione; aliter participium congruere solet cum illo (pro-)nomine ad quod se refert et, ita assumptum in ipsam compaginem propositionis, dicitur participium « coniunctum ». Ita Mt 5, 1 loco καθίσαντος αὐτοῦ προσῆλθον αὐτῷ (participium absolutum) melius diceretur participio coniuncto καθίσαντι αὐτῷ προσῆλθον.

35. Neglectus participii coniuncti in favorem participii absoluti occurrit quidem interdum etiam classice, sat frequens est in lingua populari et hellenistica, maiorem adhuc frequentiam habet in LXX et in NT, utpote ubi generalis tendentia linguae popularis ad coordinationem idearum augetur peculiari praedilectione Semitarum, qua singulas ideas non subordinant sed tamquam independentes iuxtaponunt. Genitivus absolutus est quidem quaedam externa subordinatio, ubi tamen stat loco participii coniuncti, subordinatio dicenda est imperfecta. Qui participium coniunctum adhibet, enuntiationem ut integram praeconcipit (est mens illa, quae tendit ad periodos formandas), qui vero, participio coniuncto neglecto, propositionem participio absoluto incipit, illam mentem prodit, quae ideas iuxtaponit, id quod populi est et Semitarum proprium. Exempla sunt plurima. Nota Mt 1, 18 μνηστευθείσης τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσήφ . . . εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα, ubi participium absolutum se refert vel ad ipsum subiectum propositionis, et A 22, 17, ubi mira combinatio habetur utriusque participii (coniuncti et absoluti): ἐγένετο δέ μοι ὑποστρέψαντι εἰς Ἰερουσαλὴμ καὶ προσευχομένου μου ἐν τῷ ἱερῷ γενέσθαι με ἐν ἐκστάσει.

35ª. Sicut interdum iam classice et saepe in papyris, ita etiam in NT occurrit gen. abs. sine nomine vel pronomine e. g. Mt 17, 14: καὶ ἐλθόντων πρὸς τὸν ὄχλον προσῆλθεν αὐτῷ ἄνθρωπος « et cum venissent . . . accessit ad eum »; cf. etiam A 21, 31.

4) Ad dativum

36. Evolutio linguae graecae posterioris tendit in exstinctionem dativi. In lingua graeca moderna dativus non iam est et eius loco subintrat aut genitivus aut plerumque εἰς cum accusativo. Huius

evolutionis quaedam vestigia, sed vestigia tantum, iam in lingua hellenistica et biblica inveniuntur. E. g. legimus Mc 8, 19s: τοὺς πέντε ἄρτους ἔκλασα εἰς τοὺς πεντακισχιλίους... τοὺς ἑπτὰ εἰς τοὺς τετρακισχιλίους; vel A 24, 17: ἐλεημοσύνας ποιήσων εἰς τὸ ἔθνος μου; 1 P 1, 4: κληρονομίαν τετηρημένην ἐν οὐρανοῖς εἰς ἡμᾶς.

Quae cum ita sint, ea potius phaenomena merentur attentionem in quibus contra generalem tendentiam evolutionis, **dativus** hellenistice **subintrat pro classico accusativo**:

37. *a*) **cum verbis** e. g. προσκυνεῖν τινι (iuxta classicum τινα) vel καλῶς ποιεῖν τινι loco classici τινα.

38. *b*) Frequens est **dativus « relationis »** loco accusativi « graeci » seu « relationis », qui in NT est rarus. Mt 27, 57 per exceptionem habetur ἄνθρωπος ... τοὔνομα Ἰωσήφ, cum alias semper dicatur (τῷ) ὀνόματι, τῷ γένει etc. Interdum hic dativus invenitur cum verbis e. g.: στερεοῦσθαι τῇ πίστει Act 16, 5; περισσεύειν τῷ ἀριθμῷ A 16, 5; νηπιάζειν τῇ κακίᾳ « parvulum esse nequitia »; 1 C 14, 20; παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ « vita periclitatus » Phil 2, 30; plerumque autem cum adiectivis: πτωχὸς τῷ πνεύματι, καθαρὸς τῇ καρδίᾳ Mt 5, 3. 8, vel paululo durius, si textus est sanus: ἁγνὸς τῷ πράγματι « incontaminatus negotio » 2 C 7, 11.

39. *c*) **Dativus temporis,** ubi exspectaveris accusativum, quia quaeritur de duratione « quamdiu », est hellenisticus. Ergo nihil speciale suspicandum est, si legitur R 16, 25 de mysterio « temporibus aeternis (χρόνοις αἰωνίοις) tacito » vel Lc 8, 29 πολλοῖς χρόνοις συνηρπάκει αὐτόν « per multum tempus vel ex multo tempore arripuerat eum ». Interdum lectiones variant et ita ostendunt plenam identitatem ideae alio et alio modo expressae e. g. Io 14, 9: τοσοῦτον χρόνον et τοσούτῳ χρόνῳ μεθ' ὑμῶν εἰμι vel A 8, 11: διὰ τὸ ἱκανῷ χρόνῳ et ἱκανὸν χρόνον ἐξεστακέναι αὐτούς « eo quod (Simon) per multum tempus (magiis suis) dementasset eos ». Immo ad Mc 8, 2 triplex habetur lectio: ... ὅτι ἤδη ἡμέραι τρεῖς (ἡμέρας τρεῖς; ἡμέραις τρισὶν) προσμένουσίν μοι.

40. Dativus commodi plerumque ex contextu obvius est, interdum autem tecte habetur; ita in notissimo textu « sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini eius », « Abraham et semini eius » sumi solet ac si sit appositio ad « patres nostros », cum dativus potius intellegendus sit dativus commodi, ita ut sensus sit: sicut lo-

cutus est ad patres nostros in favorem Abraham et seminis eius (Lc 1, 55), idque eo magis quod «loqui in favorem alicuius» circumscribit verbum hebraice deficiens «promittere». Fortasse etiam in Apc 8, 4 ἀνέβη ὁ κάπνος ταῖς προσευχαῖς dativus commodi habetur: «fumus ascendit in favorem orationum» (sed alii aliter).

41. Dativus τῷ θεῷ saepe quidem est dativus commodi, semper si ad verbum accedit sicut: ὁ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ θεῷ R 6, 10, fortasse etiam cum adiectivo sicut 2 C 10, 4 τὰ ὅπλα... δυνατὰ τῷ θεῷ πρὸς..., sed cum adiectivo τῷ θεῷ potest etiam esse hebraismus et aequivalere superlativo elativo sicut A 7, 20 ἀστεῖος τῷ θεῷ i. e. qui ipsi Deo videri debebat pulcher i. e. valde formosus; cf. etiam Jon 3, 3 πόλις μεγάλη τῷ θεῷ.

42. Dativus loci in NT deesse dicitur, si excipis expressiones adverbiales sicut κύκλῳ vel πάντῃ, πανταχῇ. Sunt tamen qui A 2, 33; 5, 31 illud τῇ δεξιᾷ τοῦ θεοῦ ὑψωθείς non instrumentaliter, sed localiter intellegant et vertant: «a d dexteram Dei exaltatus».

43. Dativus causae in NT interdum non instrumentalem tantum sed alias quoque causas indicat, e. g. G 6, 12 ἵνα τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ μὴ διώκωνται «ne p r o p t e r crucem persecutionem patiantur» vel R 11, 31 ἠπείθησαν τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει «non crediderunt in vestram misericordiam» (Vg) i. e. quia Deus misereri voluit vestri (cf. v. 20. 30).

43ª. Affinis est **dativus agentis,** qui tamen in NT agnosci solet solummodo in Lc 23, 15 ubi Pilatus dicit «... et ecce nihil dignum morte actum est *ei*» ... ἐστὶν πέπραγμένον αὐτῷ = ὑπ' αὐτοῦ. Fortasse vero habetur etiam Iac 3, 7 «omnis enim natura (φύσις fere = genus) bestiarum..., domantur et domita sunt a natura humana» δεδάμασται τῇ φύσει ἀνθρωπίνῃ. — Apparenter tantum habetur dat. auctoris in expressionibus sicut ἐγνώσθη τινί innotuit, ὀφθῆναι vel θεαθῆναί τινι apparere alicui, quia in his forma passiva sensum iam habet activum (deponentialem sicut «videri alicui»).

44. Ad **dativum modi** (e. g. παντί τρόπῳ, εἴτε προφάσει εἴτε ἀληθείᾳ Ph 1, 18) pertinet etiam figura illa etymologica qua LXX et NT hebraicum infinitivum absolutum reddunt (qui tamen non videtur habere, quod ei in aramaico correspondeat [Joüon]). Ita iam Gen 2, 17 *moth tamuth* a LXX vertitur θανάτῳ ἀποθανεῖσθε (cf. Mt 15, 4).

Eandem emphaticam corroborationem ideae verbalis habemus in ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα Lc 22, 15; παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν «praecipiendo praecepimus vobis» A 5, 28; φίλος τοῦ νυμφίου χαρᾷ χαίρει Io 3, 29; cf. etiam A 2, 17 e LXX et 4, 17 (l. v.); 23, 14 utrumque in ore Iudaeorum; Iac 5, 17.

44ᵃ. Idem infinitivus absolutus hebraicus alibi participio redditur e. g. H 6, 14 (= LXX): «benedicens benedicam te et multiplicans multiplicabo te». Uterque modus una invenitur A 28, 26 (= LXX) ἀκοῇ ἀκούσετε... καὶ βλέποντες βλέψετε «auditione audietis... et videntes videbitis». Circumscriptio cum participio in NT limitatur ad citationes ex LXX. At fortasse idem idioma subest etiam phrasi E 5, 5 τοῦτο γὰρ ἴστε γινώσκοντες «hoc enim scitote intellegentes» ubi utique verba non sunt eiusdem stirpis.

45. Hic dativus «internus» seu «cognatus» (qui dicitur quia nomen eiusdem est radicis ac verbum), quamvis non omnino alienus sit a lingua classica e. g. φυγῇ φεύγειν, γάμῳ γαμεῖν, tamen in NT substratum semiticum evidenter prodit. Non autem necessario ita, si attributum aliquod ad nomen accedit e. g. ἐξέστησαν ἐκστάσει μεγάλῃ Mc 5, 42. Quo tamen in casu fere semper adhibetur accusativus internus: e. g. ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην Mt 2, 10.

45ᵃ. Indoles semitica huius figurae etymologicae bene illustratur ex numero occurrentiarum in libris Machabaeorum: in hebraizante 1 Mach vicies et semel, in reliquis originaliter graecis: 2 Mach semel, 3 Mach numquam, 4 Mach quater, sed semper addito attributo (Johannessohn).

46. Maxime autem characteristicum linguae biblicae relate ad usum dativi est, quod **dativus** in plerisque suis usibus **adsciscit praepositionem** ἐν et quidem imprimis ubi designat instrumentum, sed etiam ubi dicit tempus, modum, causam (cf. **86-89**). Interdum etiam subintrant aliae praepositiones supplantantes dativum scl. εἰς (cf. supra **36**) et μετά e. g. μετὰ ὅρκου Mt 26, 72 loco ὅρκῳ sicut H 6, 17; μετὰ φόβου 2 C 7, 15 etc., quae praepositiones in graeco moderno fere exclusive campum tenent.

5) Ad accusativum

47. Ad accusativum nota hellenisticam tendentiam adhibendi (magis quam classice) verba **intransitiva etiam transitive**; e. g. ἐνεργεῖν, quod per se est absolute «operari», significat etiam «efficere»,

«producere» aliquid. Uterque usus habetur in Ph 2, 13 ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν. Hinc fere ubique, ubi in NT occurrit ἐνεργεῖσθαι, dubium moveri potest agaturne de voce media an passiva, cf. e. g. 1 Th 2, 13 «accepistis... λόγον Θεοῦ ὃς καὶ ἐνεργεῖται in vobis», ubi sunt qui ὅς referant ad λόγον et ἐνεργεῖται intellegant passive.

Similiter μαθητεύειν, quod per se significat «discipulum *esse*» (Mt 27, 57), adhibetur etiam pro «discipulum *facere*» in A 14, 21 et Mt 28, 19: «euntes ergo docete (μαθητεύσατε) omnes gentes», ubi μαθητεύσατε non bene redditur verbo «docete»; sequitur enim statim postea «docentes eos servare omnia». «Docere» igitur est tantummodo alterum ex mediis quibus quis μαθητεύεται i. e. discipulus Christi constituitur (alterum est sacramentum βαπτίζοντες).

48. Eadem tendentia ad accusativum apparet in verbis quae classice solent regere genitivum partitivum, fortasse etiam quia idea partis interdum videtur esse subtilior quam ut a vulgo adhuc sentiatur et in lingua populari exprimatur. E. g. ἐπιθυμεῖν γυναῖκα Mt 5, 28; πεινᾶν, διψᾶν τὴν δικαιοσύνην Mt 5, 6; κληρονομεῖν τὴν γῆν Mt 5, 5; ἐσθίειν τὴν σάρκα, πίνειν τὸ αἷμα Io 6, 53.

49. Ubi tamen idea partis retinetur, relatio partitiva saepe clarius per praepositiones redditur: ἐσθίειν ἀπὸ τῶν ψιχίων Mt 15, 27; ἐκ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου πινέτω 1 C 11, 28. (Similiter ac apud pronomina: τίς ἐξ ὑμῶν loco simplicis τίς ὑμῶν).

50. Ἀκούειν videtur sine distinctione adhiberi cum genitivo et cum accusativo. Est tamen, qui ex distinctione casuum voluerit solvere apparentem contradictionem qua Paulus introducitur narrans socios suos in itinere Damasceno audivisse quidem vocem (ἀκούοντες τῆς φωνῆς), non autem vidisse quemquam (A 9, 7), cum alibi (A 22, 9) dicat eos lumen quidem vidisse, vocem autem non audivisse (τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν). Hoc ultimum ἀκούειν cum accusativo se referret ad sonum et sensum verborum et vertendum esset: non intellexerunt vocem loquentis, quamvis sonitum audirent.

51. Generalis tendentia hellenistica ad maiorem expressivitatem, accedente in NT interdum influxu quodam semitico, efficit, ut **loco simplicis accusativi praepositiones** adhibeantur. Ita

a) Sicut apud γίνεσθαι, ἔσεσθαι nominativo in praedicato substituitur εἰς cum accusativo (cf. **21**), ita et accusativus in praedi-

cato assumit interdum ε ἰ ς e. g. Mt 21, 46: ε ἰ ς προφήτην αὐτὸν εἶχον, vel A 13, 22: ἤγειρεν αὐτοῖς τὸν Δαυὶδ ε ἰ ς βασιλέα.

b) apud verba timendi et cavendi φοβεῖσθαι, φεύγειν, φυλάττεσθαι habetur accusativus, sed etiam ἀπό.

c) loco accusativi extensionis (localis et temporalis) invenitur ἐπί (**93a**), et ἀπό: ἐπὶ σάββατα τρία A 17, 3; ἐπιποθίαν ἔχων ἀπὸ ἱκανῶν ἐτῶν R 15, 23; ἦν δὲ ἡ Βηθανία ἐγγὺς τῶν Ἱεροσολύμων ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε Io 11, 18.

51a. Huc fortasse trahi licet mirum modum hellenisticum indicandi distantiam (localem vel temporalem) ita ut praepositio (ἀπό, μετά, πρό) quae deberet indicare terminum a quo computationis iungatur cum ipsa indicatione distantiae: loco: « sex dies ante Pascham » dicitur « ante sex dies Paschae » Io 12, 1. Hinc etiam sine termino a quo in genitivo (qui graece est potuis ablativus) praepositio stat cum mensura distantiae: « discipuli... non... longe erant a terra sed ὡς ἀπὸ πηχῶν διακοσίων » Io 21, 8; item Io 11, 18; Apc 14, 20.

52. Contra latinorum modum dicendi in graeco apud verba quae duplicem habent accusativum, **accusativus r e i etiam in passivo** retinetur: ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν 1 C 12, 13; ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον « qui catechizatur verbo » G 6, 6. Idem habetur etiam ubi in activo obiectum personale esset in dativo: e. g. ad πιστεύειν τ ι ν ί τι « concredere alicui aliquid » formatur passivum personale retento accusativo rei: πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον G 2, 7; 2 C 3, 18. (Confer anglice: *I am given a book*).

53. Hic accusativus rei per analogiam valde extenditur ita ut e. g. dicatur πεπληρωμένοι καρπὸν δικαιοσύνης « repleti fructu iustitiae » Ph 1, 11; vel τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα « in eandem imaginem transformamur » 2 C 3, 18; immo τὴν ἅλυσιν περίκειμαι « catena hac circumdatus sum » A 28, 20.

III. AD PRAEPOSITIONES

1) Generalia

54. Ad meliorem linguae eiusque evolutionis intellegentiam nota: «praepositiones» originarie erant adverbia, non «regebant» casus, sed potius a casibus adsciscebantur, ut melius relationem inter verbum et substantivum et dein etiam substantivorum inter se exprimerent. Haec indoles adverbialis praepositionum in NT videre est in expressionibus sicut ἀνὰ εἷς Apc 21, 21; καθ' εἷς R 12, 5 «singuli» vel ὑπὲρ ἐγὼ «plus ego» 2 C 11, 23.

55. Altera ex parte novus quidam transitus multorum adverbiorum in praepositiones est linguae hellenisticae omnino characteristicus. Haec adverbia ab antiquis praepositionibus utiliter distinguuntur tamquam praepositiones «improprie dictae».

Quae in usu praepositionum propria sunt linguae hellenisticae, legibus exhiberi possunt fere his:

56. *a*) Usus praepositionum loco casuum simplicium valde crescit (tendentia analytica qua explicite dicitur quod implicite iam casu continetur).

Confer usum Lucae proprium dicendi λέγειν πρός τινα loco λέγειν τινι (in Ev. 99 vices, in A 52 contra Mt 0, Mc 5 es, Io 19 ies, Paulus bis) et frequentiam quacum adhibetur ἐκ et ἀπό loco simplicis genitivi partitivi et quidem etiam absolute ita ut e. g. Io 1, 24 ἐκ τῶν φαρισαίων verti possit et fortasse debeat «pharisaei», gallice: «des pharisiens» (cf. 16, 17; 2 Io 4; Lc 11, 49; 21, 16b etc.), id est agitur de altera legatione quam sacerdotum de qua in v. 19 (contra Vg). Ceterum vide **46. 51.**

57. *b*) Numerus (seu varietas) praepositionum proprie talium decrescit: ex 18 praepositionibus graecitatis antiquae superstites sunt in Graeco moderno tantummodo septem. In NT exstinctum quidem est solum ἀμφί, sed valde reductae sunt ἀνά et ἀντί; ceterarum autem praepositionum saltem certi usus aut rari evaserunt aut non iam habentur, nam generatim:

58. *c*) varietas in usu singularum praepositionum item decrescit. In graecitate antiquissima maior pars praepositionum adhibebatur cum pluribus casibus, in Graeco moderno omnes praepositiones cum solo accusativo coniunguntur. In NT praepositiones cum tribus casibus remanent tantummodo ἐπί et παρά; non iam huc pertinent μετά, περί, ὑπό, quippe quae amiserint dativum.

59. *d*) Usus praepositionum «impropriae dictarum» crescit frequentia et varietate. Adverbia illa prae praepositionibus antiquis praeferuntur propter tendentiam linguae ad formas pleniores, e. g. loco πρό habetur ἔμπροσθεν, ἐνώπιον, κατενώπιον (hebraice *lifne*) et ad uniformitatem constructionis (omnes cum solo genitivo).

59a. Hinc etiam frequentia adverbii ἐπάνω loco simplicis ἐπί: ἐπάνω ὄρους supra montem; Mt 21, 7 ἐπάνω αὐτῶν supra ea (scl. vestimenta), et cum verbis: βάλλειν κάτω loco καταβάλλειν Mt 4, 6; βάλλειν ἔξω loco ἐκβάλλειν Mt 5, 13. Ubi — sicut frequenter — ἔξω adhibetur pro simplici ἐκ, fortasse connotatur quaedam permanentia foris vel locus qui foris est e. g. H 13, 13 ἐξερχώμεθα πρὸς αὐτὸν ἔξω τῆς παραβολῆς «exeamus ad eum extra castra» i. e. ad locum extra castra situm cf. Mt 10, 14; 21, 17. 39; Mc 5, 10 etc.

60. *e*) Imprimis in usu praepositionum generalis quaedam lex evolutionis cerni potest scl.: quae vi et significatione affinia sunt, in lingua populari incipiunt identificari et ideo in usu confundi. Cum non iam distinguantur, praevalet vocabulum (phonetice) fortius et interdum vocem aemulam omnino supplantat. Ita in Graeco moderno εἰς expulit ἐν, ἀπό subintravit pro ἐξ, ὑπό, παρά.

61. In NT huius evolutionis vestigia passim inveniuntur. Quapropter sciendum est quae sint praepositiones illae, in quarum proprietate classica non iam liceat insistere.

2) Praepositiones aemulae

a) ἀπό = ἐκ

62. 1 Th 2, 6 habet: οὔτε ζητοῦντες ἐξ ἀνθρώπων δόξαν οὔτε ἀφ' ὑμῶν οὔτε ἀπ' ἄλλων. Distinctionem praepositionum Vg merito neglegit vertens «nec quaerentes ab (ἐξ) hominibus gloriam, neque a vobis neque ab aliis». Eaedem praepositiones commutantur etiam in

usu locali, ubi distinctio maioris momenti esset : si e. g. apud Mt 3, 16 legimus βαπτισθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εὐθὺς ἀνέβη ἀ π ὸ τοῦ ὕδατος, stricte loquendo deberes intellegere, Iesum baptizatum esse stantem ad flumen (in ripa), ἀπό enim ponit « terminum a quo » non in ipsa re (sicut ἐκ) sed in eius propinquitate. Et tamen nullum dubium est, quin Mt suo ἀπό idem dicat, quod Mc 1, 9 s habet : ἐβαπτίσθη ε ἰ ς τὸν Ἰορδάνην . . . καὶ εὐθὺς ἀναβαίνων ἐ κ τοῦ ὕδατος εἶδεν . . .

62a. Ideo saepissime coniungitur ἐξέρχεσθαι (in sensu exeundi) cum ἀπὸ imprimis apud Lc (in Evangelio decies ter nec unquam cum ἐκ in oppositione ad Mc qui semel tantummodo habet ἐξέρχεσθαι cum ἀπό [11, 12] contra decies cum ἐκ) ; altera ex parte ἐξέρχεσθαι adhibetur etiam in sensu abeundi sicut Lc 5, 8 ubi Petrus dicit : « ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ quia homo peccator sum, Domine ». Haec confusio inter ἐκ et ἀπό est quidem sat communis in lingua hellenistica, tamen in hac re fortasse non omnis excludendus est influxus semiticus, quatenus unica praepositio *min* hebraice-aramaice stat pro utraque praepositione, quamvis, utpote opposita praepositioni *be* (in), magis accedat ad ἐκ. Hinc forsan in Apc plus quam 100 ἐκ contra circa 20 ἀπό.

b) ἀπό = ὑπό et παρά

63. Ἀπό apud passivum subintrare incipit pro ὑπό, e. g. A 15, 4 qui modo dicti erant προπεμφθέντες ὑ π ὸ τῆς ἐκκλησίας (v. 3), statim postea dicuntur suscepti ἀπὸ (BC) τῆς ἐκκλησίας ; cf. 2 C 7, 13. Ideo si Lc 1, 26 angelus dicitur missus ἀ π ὸ τοῦ θεοῦ in civitatem Galilaeae, possumus intellegere terminum a quo missionis, sed non possumus urgere hanc subtilem ab ὑπό differentiam ; et similiter si Lc 1, 45 Maria credidisse praedicatur quoniam « adimpletio erit dictis ei π α ρ ὰ Κυρίου » Vg iure vertere potuit « quae dicta sunt tibi a Domino », quamvis graecum illud παρὰ in passivo classice non dicat immediatum auctorem actionis, sed potius significet « ex parte Dei », connotans scl. mediatorem angelum de quo sermo erat Lc 1, 26 ss (nisi mavis referre παρὰ Κυρίου ad ἔσται τελείωσις potius quam ad τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ).

c) ὑπέρ = ἀντί

64. Ὑπέρ quod generatim dicit « pro », « in favorem alicuius », haud raro *etiam* substitutionem amplectitur (« pro » = « loco alicuius ») e. g. Io 11, 50 « expedit ut unus moriatur homo pro populo (ὑπὲρ

τοῦ λαοῦ) et non tota gens pereat», vel G 3, 13: «Christus redemit nos de maledicto factus pro nobis (ὑπὲρ ἡμῶν) maledictum» (similiter 2 C 5, 14. 15. 21; 1 T 2, 6 [cf. Mc 10, 45!]; T 2, 14). *Pura* substitutio exprimitur per ὑπέρ Phlm 16: «ut pro te (ὑπὲρ σοῦ) mihi ministraret» (cf. etiam 1 C 15, 29).

65. Altera ex parte etiam ἀντί campum suum videtur dilatasse. Per se, vi significationis suae nativae (= «e regione», «ante») dicit aequalitatem quamdam cum alia re, vi cuius vicem eius gerere potest, dicit commensuratum pretium in emptione (δοῦναι τὴν ψυχὴν λύτρον ἀντὶ πολλῶν Mt 20, 28), commensuratam remunerationem vel punitionem: κακὸν ἀντὶ κακοῦ R 12, 17 vel frequens illud ἀνθ' ὧν: ἔσῃ σιωπῶν ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας Lc 1, 20; ἀντὶ τούτου «propterea»; tandem veram substitutionem: ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν Lc 11, 11.

66. Attamen, sublata illa idea nativa comparationis, ἀντί videtur significare posse etiam simpliciter ὑπέρ: «staterem sumens da eis ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ Mt 17, 27.

67. Ideo saltem quaestio moveri potest utrum illud «dare animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν» Mt 20, 28 necessario connotet substitutionem, an sumi possit pro simplici ὑπέρ, sicut, etiam cum λυτρόν, 1 Tim 2, 6. Attamen res linguistice manet insolubilis quia ὑπέρ, ut vidimus, et ipsum significare potest substitutionem. Propter eandem confusionem inter ὑπέρ et ἀντί quaestio de obscuro illo baptismo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν (1 C 15, 29) etiam magis complicatur.

68. Similiter ad Io 1, 16 «de plenitudine eius nos omnes accepimus καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος» quaeritur, utrum a quibusdam recte prematur in illo ἀντί sensus substitutionis gratiae novae in l o c o alterius gratiae quae desierit: e. g. Spiritus Sancti loco praesentiae Christi (D'ALÈS) vel praesentiae Dei in Christo loco praesentiae divinae in šechina (D. FRANGIPANE). Fortasse enim illud ἀντί significare potest gratiarum potius successionem: «gratiam ex gratia». Pro tali usu afferre solent ex Philone (*de posteritate Caini* 145) χάριτας... ἑτέρας ἀντ' ἐκείνων καὶ ἀεὶ νέας ἀντὶ παλαιοτέρων (ubi tamen ex contextu de vera substitutione agitur) vel etiam ex *Martyrio Petri et Pauli* 136, 13: ἄλλα ἀντὶ ἄλλων ψευσάμενοι. Notandum utique est inter paucas praepositiones antiquas superstites in Graeco moderno esse etiam ἀντίς et quidem in ipso illo sensu substitutionis, quem in NT recedere quidam suspicati sunt.

d) ὑπέρ = περί

69. In E 6, 18. 19 legimus: προσευχόμενοι π ε ρ ὶ πάντων τῶν ἁγίων καὶ ὑ π ὲ ρ ἐμοῦ; Vg merito neglegens distinctionem praepositionum vertit: « orantes p r o omnibus sanctis et p r o me ». Et sicut hic evidenter περί loco et sensu praepositionis ὑπέρ stat, ita etiam ὑπέρ invenitur ubi περί exspectaveris. Ideo noli profundum aliquem sensum suspicari, si legis in Io 1, 30 Baptistam dicentem: οὗτός ἐστιν ὑ π ὲ ρ οὗ ἐγὼ εἶπον... Quamvis praecursor « pro » Iesu testimonium perhibeat, hic recte vertitur: « hic est, *de* quo dixi ». Affinitas, ex qua oritur confusio, facile apparet e.g. ex Io 17,9.

Alia exempla: περί loco ὑπέρ vide Mt 26, 28; R 8, 3; H 5, 3; 10, 6. 8. 18. 26; 13, 11 etc.; ὑπέρ loco περί, hellenistice multo frequentior quam περί loco ὑπέρ, in NT fere apud solum Paulum invenitur R 9, 27; 1 C 4, 6; 2 C 5, 12; 7, 14; 8, 23; 9, 2; 12, 5 etc. Haec praeferentia Paulina ex parte fortasse explicatur ex coincidentia cum usu praepositionis hebraicae *ʿal* (= super = ὑπέρ) in sensu latinae praepositionis « de » vel « circa » (= περί).

e) εἰς = πρός

70. Quasi correlativa permutationi inter ἀπό et ἐκ est confusio quae haberi potest inter πρός et εἰς, quatenus εἰς non iam necessario ponit « terminum ad quem » motûs in ipsa re, sed interdum in eius propinquitate (= ad). E. g. Mc 5, 38. 39 legimus: καὶ ἔρχονται ε ἰ ς τὸν οἶκον, sed subsequens καὶ ε ἰ σ ε λ θ ὼ ν λέγει αὐτοῖς nos admonet illud prius εἰς stare pro πρός. Similiter ubi Iesus dicitur se recepisse « seorsum (κατ' ἰδίαν) εἰς πόλιν καλουμένην Βηθσαϊδά » (Lc 9, 10), quod non potest esse nisi « in regionem civitatis ». (Cf. etiam Mt 21, 1; Mc 11, 1; Lc 18, 35; 19, 29; Io 4, 5.

Ita etiam Io 20, 3 contextus postulat ut vertamus: Petrus et Ioannes ibant *ad* monumentum, quamvis legamus: ἤρχοντο ε ἰ ς τὸ μνημεῖον, prosequitur enim narratio: « currebant autem duo simul et . . . (Ioannes) . . . venit primus *ad* monumentum (iterum ε ἰ ς τὸ μνημεῖον) . . . non tamen introivit (οὐ μέντοι εἰσῆλθεν)... Venit ergo Simon Petrus et introivit in monumentum (εἰσῆλθεν εἰς τ. μ.) . . . Tunc ergo introivit et alius discipulus, qui venerat primus *ad* monumentum » (ὁ ἐλθὼν πρῶτος ε ἰ ς τὸ μνημεῖον). Haec descriptio in textu graeco (non in Vulgata, quae distinguit « in » et « ad monumen-

tum »! v. 4. 6. 8) primo aspectu pulchram videtur exhibere conformitatem cum inventis archaeologicis. Secundum haec enim in monumento distinguendum est vestibulum et ipsa camera sepulcralis, ita ut quis potuerit « in monumento » esse et tamen non « intrasse » scl. in ipsam cameram sepulcralem. Quia autem εἰς τὸ μνημεῖον in v. 3 certo est « *ad* monumentum », etiam v. 4 et 8 (cum Vulgata) pro « ad monumentum » sumi potest. Unde sequitur, ex solo usu praepositionis εἰς in textu nostro non stricte probari posse sepulcrum Domini vestibulo fuisse instructum (1).

70ª. Etiam in sensu metaphorico εἰς et πρός aequaliter adhibentur non tantum, ut patet, sescenties ad indicandum finem, sed etiam in usibus rarioribus e. g. quatenus utraque praepositio usu venit in sensu causali : « ratione habita alicuius rei » = « *im Hinblick auf* » = « propter ». Sicut enim dicitur poenitentiam agere εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ « propter praedicationem Ionae » (Mt 12, 41) vel recipere prophetam εἰς ὄνομα προφήτου « respectu habito nominis (muneris) prophetae » (Mt 10, 41), ita legimus etiam Mc 10, 5 πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν « propter duritiam cordis vestri » permisit vobis Moyses dimittere uxorem.

f) εἰς = ἐν

71. In lingua hellenistica distinctio inter motum et quietem neglegi incipit. Hoc imprimis apparet in permutatione inter εἰς et ἐν. Iam classice quidem εἰς adhibebatur post verbum quietis, si scl. idea motus antecedentis connotabatur e. g. παρεῖναι εἰς τὴν πόλιν (sicut vice versa ἐν post verbum motus stare poterat, si scl. status quietis motum secutus subintellegebatur) : « constructio praegnans ». Hinc progrediens, si recte iudicat F.-M. Abel (2), εἰς in lingua hellenistica magis magisque provinciam praepositionis ἐν invasit, cum ἐν confudebatur, ἐν tandem supplantavit, ita ut in Graeco moderno, exstinctâ (simul cum dativo) praepositione ἐν, sola remanserit εἰς ad exprimendum « in » sive in sensu quietis sive in sensu motus.

72. Incipientis huius evolutionis vestigia non pauca etiam in NT inveniuntur. E. g. si legis apud Lc 9, 61 ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου « valedicere iis qui domi sunt » vel 11, 7 τὰ παιδία μου...

(1) Cf. *V. D.* 21 (1941) 76 nota 4.
(2) *Grammaire du Grec Biblique*, p. 216; § 48 c.

εἰς τὴν κοίτην εἰσίν «filii... in lecto sunt», noli quaerere latentem aliquam ideam motus.

73. Neque in solo sensu locali, sed etiam in sensu metaphorico loco ἐν subintrare potest εἰς. Hoc non attendenti aenigmaticus manebit textus sicut A 7, 53: ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων. Et tamen, dummodo εἰς sumatur pro ἐν et quidem pro (semitico) ἐν instrumentali, facile sequitur versio: «accepistis legem mandantibus angelis» Vg: «in dispositione angelorum». Ideae motûs ne umbra quidem remanet. Cf. etiam A 19, 3: Paulus interrogat: εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; at illi dixerunt: εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, ubi responsum ostendit etiam in interrogatione εἰς stare pro ἐν instrumentali.

74. Attamen, ne nimium quaeratur sub aliquo εἰς quod admirationem movet, monendum est etiam, ubi latens aliqua connotatio motus nobis theologis valde accepta esset. E. g. si apud Io 1, 18 Iesus appellatur «unigenitus (Deus) ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός» «qui est in sinum (Vg sinu) patris», nimium est adscribere Evangelistae voluntatem per εἰς innuendi illud «esse ad», illam trinitariam «relationem», qua secunda persona divina constituitur. Neque ad rem confirmandam nimis confidenter recurri potest ad 1,1: καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν (ubi exspectaveris παρὰ τῷ θεῷ) quia hellenisticus neglectus distinctionis inter motum et quietem efficit confusionem, sicut inter εἰς et ἐν, ita etiam inter πρός cum accusativo et παρά cum dativo; utique apud Ioannem πρός videtur secus semper dynamice adhiberi.

75. In favorem alicuius profundioris sensus suspicandi in usu praepositionum εἰς (in 1, 18) et πρός (in 1, 1) afferri potest, in evangelio S. Ioannis vix ullum aliud exemplum (20, 7?) inveniri, quod suadeat Ioannem distinctionem inter εἰς et ἐν neglegere. Nam in ἔστη εἰς τὸ μέσον «stetit in medio» Io 20, 19. 26 ἵστασθαι, sicut iam classice, consideratur ut verbum motus (etiam 21, 4?); Io 9, 7 ὕπαγε νίψαι εἰς τὴν κολυμβήθραν «vade, lava in natatoria...» εἰς explicari potest ex influxu verbi motus ὕπαγε. Altera ex parte fortasse invenitur ἐν loco εἰς: 3, 35 et 5, 4; sed textus alter critice dubius est et uterque explicari potest ut «constructio praegnans» (**71**). — Tandem notatu dignum est vel ipsam Apocalypsim, librum inter scripta NT[i] quoad linguam vulgarissimum et certo ipsius Ioannis etiam quod formam attinet, immunem esse a confusione praepositionum ἐν et

εἰς. — Et haec quidem dicta sint ad iuste diiudicandum usum praepositionis εἰς in Io 1, 18.

75a Ideo fortasse etiam 1 Io 4, 16 ἐν in pleno suo sensu sumendum est: «et nos cognovimus et credidimus caritati ἣν ἔχει ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν». Hoc non videtur idem esse ac ἣν ἔχει... εἰς ἡμᾶς neque sufficere videtur interpretatio: caritas «in nobis et apud nos manifestata» scl. missione et opera Filii, sed ex theologia Ioannea fortasse simul intellegenda est communicatio caritatis divinae qua huius caritatis non solum obiectum sed quodammodo etiam subiectum constituimur.

76. Immunitas ab hellenistica confusione inter εἰς et ἐν (in sensu locali) adscribi solet Matthaeo et toti Epistolario NT (excepto 1 P 5, 12). Id quod exegetis haud parvi momenti est. In his enim auctoribus (aliter ac in Mc Lc A), etiam ubi fortasse εἰς = ἐν exspectaveris, praesumptio stat pro εἰς in pleno sensu.

Ita e. g. modus loquendi S. Matthaei permittit, immo suadet, ut praepositioni εἰς plenam suam vim vindicemus, ubi mandatum baptizandi a Mt refertur: «... docete omnes gentes... baptizantes eos εἰς τὸ ὄνομα (Vg «in nomine») Patris et Filii et Spiritus Sancti» (28, 19). Praepositione εἰς finis et effectus baptismatis videtur innui, qui est specialis relatio in quam baptizatus intrat cum Sanctissima Trinitate (1).

Non potest obici Mt 10, 41 «qui recipit iustum εἰς ὄνομα iusti...» quasi εἰς ὄνομα idem sit ac ἐν ὀνόματι. Hîc enim a sensu postulatur vis causalis, quae praepositioni εἰς convenire potest, sicut et aequivalens semiticum *le* praeter finalem etiam causalem admittit sensum; ita in phrasi *leshem* = «ratione habita»; vide etiam e. g. Mt 12, 41 «(Ninivitae) paenitentiam egerunt εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ «propter praedicationem Ionae» (cf **70a**).

77. Veniamus ad Paulum. In Ph 1, 5 Paulus gratias agit Deo et exprimit gaudium suum ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ (αὐτῶν) εἰς τὸ εὐαγγέλιον. Vg vertit «super communicatione vestra in Evangelio (non: in Evangelium) Christi». Per se, ex parte graecitatis hellenisticae, nil est quod obiciatur, et sensus qui inde efficeretur profecto esset Pau-

(1) Cf. Strack-Billerbeck I, p. 1054 s.

linus: gratiarum actio fieret pro eo quod lectores, participes facti evangelii, vitâ et opere participes eius se praestiterunt «a prima die usque nunc». At cum non liceat apud Paulum εἰς sumere pro ἐν, Vulgata relinquenda est et κοινωνία εἰς τὸ εὐαγγέλιον intellegenda est de cooperatione ad promovendum Evangelium. Unde textus noster pulchrum exhibet apostolatûs laicorum documentum biblicum.

78. Alius quoque est textus in eadem epistula, ubi versio Vulgatae similiter inaccurata haud paucos seduxit ad erroneam interpretationem: Ph 2, 11 «... ut in nomine Iesu omne genu flectatur... et omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus *in gloria est* Dei Patris». Haec versio omnino univocum praebet sensum et quasi impletum declarat, quod Christus petiverat a Patre: «... clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te» Io 17, 5. At textus graecus hanc interpretationem non admittit, non enim habet ἐ ν τῇ δόξῃ Θεοῦ sed εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός, quod apte refertur ad verbum ἐξομολογήσηται, ita ut sensus sit «... ut omnis lingua *in gloriam* Dei patris confiteatur ὅτι Κ ύ ρ ι ο ς Ἰησοῦς Χριστός», i. e. quod Iesus Christus Κύριος = Deus (est).

79. Maximum autem momentum theologicum distinctio inter εἰς et ἐν a Vulgata neglecta assumit in C 1, 16 «omnia per ipsum et in ipso (εἰς αὐτόν) creata sunt». Hîc differentia inter εἰς et ἐν mutat quasi integram visionem mundi. Christus enim explicite dicitur non tantum causa efficiens creationis sed etiam causa finalis. Omnia in ipsum convergunt, in ipsum diriguntur. Ipse est non primus tantum sed etiam novissimus, non initium tantum sed etiam finis (Apc 22, 13). Theologorum est investigare huius mysterii profunditates. Mysterii dico, nam si Christus initium est ut «Verbum», finis certe hic dicitur ut Verbum i n c a r n a t u m.

80. Vulgata, quae in omnibus his exemplis graecum εἰς tractat ut aequivalens ἐν, retinet εἰς in illo ipso textu in quo solo possis suspicari apud Paulum confusionem cum ἐν, in E 3, 16: «... flecto genua mea ad Patrem... ut det vobis... virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem» δυνάμει κραταιωθῆναι... εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον. Revera sunt versiones modernae quae vertant ac si habeatur ἐν τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ (1).

---

(1) «Am inwendigen Menschen» M. Dibelius, «am inneren Menschen» C. Rösch.

At modus loquendi S. Pauli iustificat conatum retinendi εἰς in suo pleno sensu, sicut e. g. Huby vertit «... potenter fortificari.. ad progressum interioris qui in vobis est hominis» (1).

Nescio an liceat illud τὸν etiam magis urgere, ita ut «interior homo» non tantum intellegatur obiectum circa quod et in cuius favorem actio corroborans Spiritus Sancti invocatur, sed ut finis eius et effectus desideratus: κραταιωθῆναι εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον = corroborari, ita ut evadat et efficiatur «homo interior», qui ita intellegeretur tamquam hominis christiani status quidam perfectus.

Hoc si fortasse non admittitur propter analogam expressionem in R 7, 22 et 2 C 4, 16, tamen ostendit, ad quales deliberationes, in practica applicatione non inutiles, ansam praebere possit factum stilistico-grammaticale: in Epistolario distinctio inter εἰς et ἐν servari solet.

81. Tamquam exceptio ab hac lege agnoscendus est textus 1 P 5, 12 ... ἔγραψα ... ἐπιμαρτυρῶν ταύτην εἶναι ἀληθῆ χάριν τοῦ Θεοῦ, εἰς ἣν στῆτε «scripsi... contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis». Haec versio supponit lectionem graecam variantem utique «faciliorem» (quam etiam multi codices minusculi tuentur): εἰς ἣν ἑστήκατε. Lectio difficilior στῆτε (imperativus aoristi ex ἵσταμαι = intrate! consistite vos!) propter sensum vix tolerari potest, nisi forte στῆτε sumitur sensu «manete» (2). Hic igitur habemus quasi certo εἰς pro ἐν. At nonne hic vulgarismus, in epistulis exceptionalis, immo unicus, nobis acceptus et pretiosus esse potest, quippe qui confirmet modo commovente opinionem aliunde iam admodum probabilem, hanc clausulam epistulae eamque solam scriptam esse ipsa S. Petri manu, characteribus fortasse non minus impeditis, quam impeditus est modus loquendi. Coram hac manu primi Papae, nescio an non experiamur aliquid nobilis illius pietatis, qua in celeberrima epistula papyracea tiro classiarius patrem rogat: ... γράψον μοι ἐπιστόλιον... ἵνα σου προσκυνήσω τὴν χέραν, ὅτι με ἐπαίδευσας καλῶς... (BGU II, 423) «scribe mihi litterulas... ut adorare (osculando venerari) possim manum (= scripturam) tuam, quia bene educasti me...».

---

(1) «... D'être puissamment fortifiés... pour le progrès en vous de l'homme intérieur».

(2) Exempla vide apud U. Holzmeister, *Epistula prima S. Petri* p. 441.

3) Ad singulas quasdam praepositiones

a) Διά

82. **Usus causalis** praepositionis διά cum a c c u s a t i v o = «propter» extenditur etiam ad causam f i n a l e m, e. g. Mc 2, 27 διὰ τὸν ἄνθρωπον = τοῦ ἀνθρώπου ἕνεκα (Mt 24, 22; Io 11, 42; R 4, 23; 11, 28 etc.); et ita διά in via est ad significationem «pro», quam in Graeco moderno habet.

83. Sensus causalis qui cum genitivo per se solam causam intermediam vel instrumentalem respicit (Deus loquitur διὰ τοῦ προφήτου) amplecti potest etiam ipsam causam p r i n c i p a l e m e. g. R 11, 36 ubi de Deo Creatore dicitur: «quoniam ex ipso et per ipsum (δι'αὐτοῦ) et in ipsum sunt omnia». Item 1 C 1, 9; 12, 8; Phlm 7; H 2, 10; 13, 11; 1 P 2, 13 etc. Ideo non nimis insistendum est in usu praepositionis διά cum gen. ad efferrendam indolem mediatoris ubi sermo est de Christi (Verbi) operatione creativa (Io 1, 3. 10; C **1**, 16) vel redemptiva (R 5, 9).

84. Eadem tendentia ad extendendum usum apparet, ubi διά cum genitivo **de modo** adhibetur. Iam medium quo aliquid fit est simul modus faciendi aliquid e. g. διὰ λόγου «oraliter», «coram» A 15, 27 in oppositione ad διὰ τῆς ἐπιστολῆς 2 C 10, 11. Hinc usus extenditur ad modum qui non iam est medium, sed mera c i r c u m s t a n t i a: «scripsi vobis διὰ πολλῶν δακρύων 2 C 2, 4; (cf. R 4, 11; 14, 20; 2 C 3, 11; 6, 8); immo circumstantia actioni contraria, ita ut fere vertendum sit «non obstante»: ὁ διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτης «qui non obstante lege et circumcisione praevaricator est» R 2, 27. — Sunt qui hunc modum dicendi reducant potius ad ideam status *per* quem transiens, et hinc condicionis in qua versans, aliquis agit: «ambulamus διὰ πίστεως οὐ διὰ εἴδους «in statu fidei non in statu speciei» 2 C 5, 7.

85. Διά cum g e n i t i v o = «per» significat **temporaliter,** sicut classice, non tantum durationem (διὰ πάσης νυκτός) et tempus quo elapso aliquid fit = «post»: δι'ἡμερῶν «post dies» Mc 2, 1, sed simul, non classice, etiam s p a t i u m temporis, i n t r a quod aliquid fit:

« possum templum... tribus diebus (διὰ τριῶν ἡμερῶν, Vg « post triduum ») reaedificare (Mt 26, 61, sed Io 2, 19 habet τρισὶν ἡμέραις). Etiam A 1, 3; 16, 9; 17, 10; 23, 31.

b) 'Ἐν

86. Usus sociativus. Praepositio ἐν, ex parte saltem sub influxu semitici *b*[e], provinciam suam valde extendit. In lingua biblica vis praepositionis ἐν videtur admodum vaga esse et a sensu locali saepe longe recedere. Si e. g. Mc 5, 2 narrat de «homine in spiritu immundo», mirabitur fortasse aliquis, quia exspectaverit potius spiritum immundum fuisse in homine, non hominem in spiritu et explicabit rem, quasi dicatur hominem fuisse in potestate spiritus immundi. At iam in eodem capite (5, 25) simile conamen deficiet. Ibi enim mulier haemorrhoissa dicitur fuisse « in profluvio sanguinis », ἐν ῥύσει αἵματος, ubi dubium iam non esse potest quin hac expressione idem dicatur ac morbum fuisse in muliere.

87. Res alicuius momenti est volentibus nobis intellegere, quomodo Paulus modo dicat nos in Christo (vel in Spiritu), esse, modo Christum (vel Spiritum) in nobis esse. De facto tam parva, ne dicam tam nulla, videtur ex mente Pauli distinctio esse inter utrumque modum dicendi, ut unum altero explicet et quasi definiat: R 8, 9 « vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis ». Ergo « in spiritu » est ille, in quo spiritus est, vel etiam — sicut Apostolus prosequitur — ille, qui « spiritum habet »: « si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius ». Etiam apud Io Dei (Christi) in nobis et nostra in Deo (Christo) permansio sunt eiusdem rei duo aspectus correlativi et inseparabiles cf. 1 Io 4, 13. 15. 16; Io 6, 56; 15, 4, 5. Ita illud ἐν (non sine influxu semitico) reducitur fere ad ideam generalem associationis vel comitatus, quam latine potius reddimus per praepositionem « cum »: « homo cum spiritu immundo », « mulier cum fluxu sanguinis ».

Huc pertinent etiam exempla sicut « esse *in* circumcisione » vel « *in* praeputio » R 4, 10; venire « *in* abundantia benedictionis » R 15, 29; sacerdos « intrat in sanguine » = « sanguinem secum ferens intrat » H 9, 25; « in virga (ἐν ῥάβδῳ) veniam ad vos? » 1 C 4, 21 vel Lc 14, 31 « rex... cogitat, si possit cum (ἐν!) decem milibus occurrere ei, qui cum (μετά!) viginti milibus venit ad se », et generatim ubi ἐν de instrumento adhibetur: R 3, 25 « propitiatio in san-

guine », vel etiam de modo, quo aliquid fit: ἐν τάχει « celeriter », « brevi » Lc 18, 8; ἐν δικαιοσύνῃ = δικαίως A 17, 31; ἐν δόλῳ = dolose Mc 14, 1.

88. Timuerit fortasse aliquis ne evacuentur formulae Paulinae nobis carissimae et inexhaustae profunditatis plenae, si illud ἐν Χριστῷ, ἐν πνεύματι etc. philologice sub uno capite ponuntur cum « in spiritu immundo », « in fluxu sanguinis », immo cum « in virga » et « ἐν τάχει ». Immerito! Hic enim simile aliquid repetendum est ac illud, quod iam de genitivo agentes monuimus (**28**). Cavendum est a quadam superstitione vocabulorum, quasi vocabula et elementa grammaticalia e x s e habeant vim exprimendi nescio quid et quantum. Elementa illa sunt signa conventionalia ad exprimendum plerumque aliquid valde generale quod ad plenam suam vim concretam ab u s u determinatur et imprimis a m a t e r i a s u b i e c t a. Sicut genitivus ex se nil aliud dicit ac pertinentiam rei ad alteram et propter hoc ipsum aptus est, qui — pro materia subiecta — exprimat etiam altissimam unionem mysticam inter Christum et eos qui « Christi sunt », ita etiam idem ἐν, quod in nostro casu associationem et comitatum dicit, pro alia et alia subiecta materia « uniones » dicit toto caelo diversas: ab unione quae est inter actionem et eius celeritatem (ἐν τάχει) usque ad unionem inter Christum et eos, qui « in Christo » sunt. Haec unio igitur qualis sit, investiganda est ex revelatione, non autem ex vi quam habet praepositio ἐν. Quapropter oleum et operam perdiderit, qui colligendo ex litteris profanis Graecorum omnia exempla, in quibus fortasse ἐν adhibetur cum aliqua persona, crediderit profundius se posse penetrare in mysterium quod latet et a Paulo intenditur sub cortice horum duorum vocabulorum « ἐν Χριστῷ ».

89. Usus intrumentalis. Notum est ἐν in NT cum semitica fere frequentia adhiberi loco dativi instrumentalis e. g. Apc 6, 8: « data est eis potestas interficiendi gladio et fame et morte »: ἀποκτεῖναι ἐν ῥομφαίᾳ καὶ ἐν λιμῷ καὶ ἐν θανάτῳ. Hinc fortasse est, cur ἐν interdum etiam de alia c a u s a (non instrumentali) usurpetur et aequivaleat praepositioni « propter ». Hic sensus patet e. g. A 7, 29 « fugit autem Moyses in verbo isto » (scl. quia ei dictum erat: « quis te constituit... iudicem super nos? ») vel Mt 6, 7 « (ethnici) putant... quod in multiloquio suo exaudiantur ». Ideo ἐν τούτῳ (Io 16, 30) potest significare « propterea » et ἐν ᾧ (H 2, 18) « quia ». — Hoc nisi attenditur, obscurum manet, quid Paulus sibi velit si A 24, 16 ad spem resurrectionis se referens dicit: « i n h o c (ἐν τούτῳ = propterea) et

ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere...» vel R 8, 3 «quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem», ubi illud «in quo» expedite intellegitur tantum, si vertitur «quia».

90. Usus apud dativum. Usus quasi hypertrophicus praepositionis ἐν in evolutione linguae hellenisticae eo conducit, ut haec praepositio sine ulla vi etiam simplici dativo adiungatur. Quaestio est, num iam in NT huius usus pleonastici vestigia inveniantur. Exemplum quod maxime commendat responsum affirmativum est 1 C 14, 11, ubi habetur dativus sine ἐν et dativus cum ἐν in sensu omnino parallelo. Loquens de vanitate glossolaliae (nisi accedat interpretatio) Paulus dicit: «si ergo nesciero virtutem vocis, ero loquenti (τῷ λαλοῦντι) barbarus, et qui loquitur, mihi barbarus (ὁ λαλῶν ἐν ἐμοὶ βάρβαρος). Quidquid affertur ad explicandum illud ἐν (quod in haud paucis testibus deest), scil. quod sit adiunctum ne ἐμοί ad ὁ λαλῶν referatur, vel quod ἐν ἐμοί dicat quasi: «in oculis meis», «meo iudicio», sicut interdum in poesia attica (cf. DEBR. 220, 1), manet perfectus parallelismus, qui non permittit, ut ἐν ἐμοί alio sensu sumatur quam τῷ λαλοῦντι. Procedentibus ex hoc casu sat claro licet fortasse etiam in quibusdam aliis textibus praepositionem ἐν neglegere, si contextus hoc suadet. Afferunt e. g. G 1, 16 «placuit (Deo)... ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem eum in gentibus». Cf. etiam 2 C 4, 3; 8, 1; R 1, 19 et fortasse 1 Io 4, 9.

91. Ah hunc usum pleonasticum praepositionis ἐν apud dativum A. FRIDRICHSEN provocat novam proponens interpretationem, dicti Paulini coram Agrippa A 26, 29: «opto apud Deum et in modico et in magno (καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν μεγάλῳ), non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie, fieri tales, qualis et ego sum...». Friedrichsen vertit: opto apud Deum et pro magnis et pro parvis (dativus commodi) [1].

Auctor hanc interpretationem commendat monendo: 1) Paulus reassumit Agrippae ἐν ὀλίγῳ ('brevi tempore') et verbo «ludens» aliam vim ei tribuit, quae, propter adiunctum oppositum καὶ ἐν μεγάλῳ (quod haud obscure ad regem alludit), videtur esse: «in parvo». 2) Insuper, quod maioris momenti est, propter ordinem verborum illud ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν μεγάλῳ

---

(1) «I would to God, concerning both small and great». *Coniectanea Neotestamentica* III (1938), p. 15.

ei videtur coniungendum esse cum εὐξαίμην ἄν potius quam cum sequente γενέσθαι. Quidquid est de maiore vel minore huius interpretationis probabilitate, res ostendit, quomodo usus pleonasticus praepositionis ἐν apud dativum possit in exegesi alicuius esse momenti.

c) Ἐπί

92. Ἐπί est unica praepositio quae etiam in NT adhuc frequenter invenitur cum omnibus tribus casibus, quamvis hic quoque optime observari possit confusio casuum cum generali tendentia ad accusativum.

93. In **usu locali** classice ἐπί cum accusativo habetur de solo motu ad aliquid, dum quies exhibetur cum dativo vel genitivo. Confer hunc triplicem usum classicum in A 27, 43 s, ubi, qui natare possunt, iubentur ἐπὶ τὴν γῆν ἐξιέναι, ceteri se salvant ἐπὶ σανίσιν et ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου «in tabulis et super ea quae de navi erant». Saepe tamen, quamvis cum lectionibus variantibus, ἐπί cum accusativo respondet quaerenti «ubi?» e. g. Lc 2, 25: πνεῦμα ἦν ἅγιον ἐπὶ αὐτόν vel περιπατεῖν ἐπὶ τὴν θάλασσαν Mt 14, 25. Confer etiam frequentem formulam ἐπὶ τὸ αὐτό «simul», «una» et in Apc promiscuitatem omnium trium casuum, cum magna tamen praevalentia accusativi, in una eademque frequentissima formula «in throno sedere».

94. Vice versa ἐπί cum genitivo habetur etiam de motu: βάλλειν, πίπτειν ἐπὶ τῆς γῆς. Accusativus et genitivus simul et eodem omnino sensu invenitur Mt 25, 21: «quia super pauca (ἐπὶ ὀλίγα) fuisti fidelis, super multa (ἐπὶ πολλῶν) te constituam». Hoc tamen exemplum iam ad **sensum translatum** accedit, ubi e. g. de dominatione iuxta genitivum (classicum) in NT accusativus invenitur: βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακώβ Lc 1, 33.

94[a]. Saepe ἐπί accedit ad **accusativum mensurae,** imprimis durationis (in A decies ter, in Lc ter) e. g. ἐπὶ χρόνον per aliquod tempus, ἐφ' ὅσον quamdiu, ἐπὶ πολύ per longum tempus, ἐπὶ πλεῖον diutius, ἐπὶ σάββατα τρία A 17, 2. Ille accusativus mensurae (hic non temporalis) occurrit simul ut obiectum directum in Mt 25, 40. 45 ἐφ' ὅσον (οὐκ) ἐποιήσατε... Vg litteraliter: «quamdiu» (!), melius: «quantum (non) fecistis uni de minoribus his».

95. 'Ἐπί **cum dativo** plerumque basim, fundamentum indicat quo actio innititur: ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου χαλάσω τὰ δίκτυα. Lc 5, 5. Ideo stat cum verbis πιστεύειν, ἐλπίζειν et generatim indicat rationem (obiectum) affectuum post εὐχαριστεῖν, χαίρειν, λυπεῖσθαι etc.

96. Hic sensus causalis attendendus est in formula ἐφ' ᾧ = « quia », ne cum Vg obscure et ambigue vertatur: « et ita in omnes homines mors pertransit in quo (ἐφ' ᾧ) omnes peccaverunt » R 5, 12, ubi periculum est, ne ἐφ' ᾧ ad Adam referatur, cum simpliciter « quia » significet. Similiter Ph 3, 12: « sequor autem, si quomodo comprehendam in quo (ἐφ' ᾧ) et comprehensus sum a Christo Iesu » (cf. etiam Ph 4, 10 et 2 C 5, 4), sed vide **98.**

97. 'Ἐπί cum dativo potest etiam habere sensum **additionis**. In exemplis quae afferuntur res patere solet: « Herodes adiecit et hoc super omnia (ἐπὶ πᾶσιν) » Lc 3, 20; vel « super omnia autem haec (ἐπὶ πᾶσιν δὲ τούτοις) caritatem habete » C 3, 14. Et ita ἐπὶ assumit sensum « ultra », « praeter », qui sensus si ad Mt 19, 9 applicatur fortasse viam aperit ad solvendam difficultatem illam de « clausulis divortii ». Haec difficultas tota in eo est, quod ἐπὶ πορνείᾳ ab omnibus interpretibus causaliter intellegitur: « ob fornicationem », cum possit etiam intellegi additive et significare « ultra casum impudicitiae », ita ut in ultima analysi Dominus respondeat: « ne in casu impudicitiae quidem (ubi omnes divortium permissum habebant) licet libellum repudii dare » (1).

98. 'Ἐπὶ cum dativo ad indicandum **finem** a nostro modo cogitandi fortasse alienum est, sed iam classice occurrit. Sicut ibi habetur ἐπὶ βλάβῃ « in damnum », ita Paulus scribit: « creati in Christo . . . ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς » E 2, 10; ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε G 5, 13 et « non enim vocavit nos Deus ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ (ad immunditiam) ἀλλ' ἐν

---

(1) Cf. M. Brunec in *Verbum Domini* 27 (1949) 8-16. Idem auctor simili modo difficultatem solvit in textu parallelo Mt 5, 32, ubi etiam παρεκτός sumit in sensu additivo, non exceptivo, et vertit: « quicumque dimittit uxorem suam, praeter rem foedam (ob quam eam dimittere decrevit) facit eam adulterio foedari », i. e. repudiatione nil aliud obtinet, nisi ut uxor ultra foeditatem, ob quam eam repudiat, nova eaque maiore foeditate afficiatur scl. adulterio, vinculo matrimoniali remanente (ibidem p. 5-8).

ἁγιασμῷ ad sanctificationem» 1 Th 4, 7, ubi tamen illud ἐν in altero membro fortasse constructionem «praegnantem» (**71**) etiam pro membro priore suggerere potest. Sunt qui huc trahant etiam duplex illud ἐφ' ᾧ Ph 3, 12 (cf. **96**) et 4, 10. — Idem usus apud Flavium Iosephum est admodum frequens.

d) Κατά

99. Ex reliquis praepositionibus notatu dignus est frequens usus hellenisticus secundum quem κατά cum accusativo adhibetur pro simplici genitivo subiectivo vel possessivo (vel cum pronomine personali loco pronominis possessivi), ita ut ἡ καθ' ὑμᾶς πίστις simpliciter sit «fides vestra» E 1, 15; τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον «promptitudo mea» R 1, 15; οἱ καθ' ὑμᾶς ποιηταί «poetae vestri» A 17, 28; τὸ κατὰ τὸν Παῦλον «causa (res) Pauli» A 25, 14; ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ Θεοῦ «Dei voluntas eligendi» (quem vult) R 9, 11. Hic usus hellenistice sat frequens, derivatur a sensu locali «spectans ad (versus)» qui metaphorice transit in «pertinens ad» et ita vim assumit simplicis genitivi.

100. Hinc etiam quaeri potest, sitne in titulis evangeliorum nostrorum illud κατὰ Ματθαῖον intellegendum simpliciter ut «Evangelium Matthaei», an subaudienda sit idea de uno Evangelio quod quadruplici forma exstat: scl. secundum Matthaeum, Marcum etc. Haec quidem est opinio communis (1), illa tamen non excluditur, cum eadem locutio (κατά pro genitivo auctoris) etiam de libris aliorum auctorum inveniatur, ubi non subest idea de aliis libris idem argumentum tractantibus (2).

NB. In utroque casu a u c t o r indicatur. Quaeritur tantummodo, utrum praepositione κατά necessario alii de eadem re auctores connotentur

(1) Haec opinio valde commendatur iam ab ipso fragmento Muratoriano, quod tertium Evangelium enumerat ut «tertium evangelii... (!) librum secundum Lucam».

(2) e. g. 2 Mach 2, 13 habet: ἐν τοῖς ὑπομνηματισμοῖς τοῖς κατὰ Νεεμίαν; Ios. Flavius, c. Ap. 1, 3, 18 scribit: Thucydidem videri accuratissime scripsisse τὴν καθ' αὑτὸν ἱστορίαν; Epiphanius habet: ἡ κατὰ Μωυσέα πεντάτευχος) Cf. Höpfl-Gut, *Introductio* III, p. 6.

an non. Auctorem indicari explicite statuimus, quia fuerunt qui prementes illud κατά dicerent, titulo non indicari auctorem evangelii, sed certam formam praedicationis secundum quam (ab alio auctore) scriptum sit. At, hoc si verum esset, illi qui saeculo secundo hos titulos dederunt, pro traditione tunc iam vigente, nostro evangelio Marci inscripsissent κατὰ Πέτρον, et evangelio Lucae κατὰ Παῦλον. (Cf. HÖPFL-GUT, l. c).

e) Ἀπό

101. Ad praepositionem ἀπό notatu digna est eius in verbis compositis **vis perfectiva.** Quamvis nativa vis praepositionis ἀπό conferat ideam separationis, haec prorsus deesse potest, e. g. ἀφικνέομαι *ad*venio, *per*venio, ἀποτελέω *ad* finem perduco, perficio (1). Saepe connotatur idea restitutionis in statum priorem (debitum): ἀποκαθίστημι redintegro, ἀποκαταλλάσσω reconcilio, ἀπέχω rem mihi debitam accepi ἀποδίδωμι reddo (debitum).

102. Ideo interdum vel ipsum verbum ἀπέρχομαι videtur adhiberi non in sensu abeundi sed potius *ac*cedendi quo quis vocatus est vel ire debet e. g. Mc 3, 13 « et vocavit ad se quos voluit ipse καὶ ἀπῆλθον πρὸς αὐτόν. Similiter fortasse Mt 2, 22; Mc 16, 13; Lc 17, 23. Ideo etiam precarium videtur velle concludere ex verbo ἀπήεσαν (εἰς τὴν συναγωγήν) A 17, 10, synagogam sitam fuisse extra civitatem; verbum enim potest suggerere ideam eundi eo, quo ire solebant. Similiter ἀποστρέφω potius quam « *a*verto » significat « *con*verto » i. e. in suum locum redire facio Mt 26, 52; 27, 3.

f) Ἐκ

103. Operae pretium est attendere ad usum imprimis Paulinum quem Zorell optime ita describit: ut nos per nomina in « -ista » desinentia brevissime solemus quasdam hominum classes, factiones, sectas, scholas designare (cogita « socialistas », « idealistas », « pessimistas » etc.), ita Paulus usurpat ad similem finem formulam ὁ ἐκ..., οἱ ἐκ...

---

(1) Chrysostomus distinguit λύτρωσις ab ἀπολύτρωσις et hanc habet plenam et perfectam redemptionem: ad R 3, 24: P G 60, 444, ad R 8, 23 P G 60, 531 cf. *Verb. Dom.* 30 (1952) 20.

cum genitivo eius rei quae est character vel norma illorum hominum: ὁ ἐκ πίστεως Ἰησοῦ = «qui habet (ceu regulam vitae) fidem» R 3, 26; οἱ ἐκ πίστεως = «credentes» G 3, 7.9; παντὶ τῷ σπέρματι οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Αβραάμ: «omni posteritati Abrahae non tantum ei quae sub lege vivit (Iudaeis) sed etiam ei quae fidei Abrahae est consors (gentilibus)» R 4, 16; οἱ ἐκ νόμου = qui legem mosaicam habent viribusque naturalibus implere student R 4, 14; idem cum verbo «esse»: ὅσοι ἐξ ἔργων νόμου εἰσιν: quicumque ex operibus legis (his solis confisi) iustificari volunt, breviter «nomistae» Gal 3, 10. Cf. 1 Io 3, 19; Io 8, 23 et generatim modum joanneum dicendi «esse ex Deo», «ex diabolo», «ex mundo» eum qui (quasi genuina eius proles) illius indolem prae se fert eique obsequitur: Io 8, 44. 47; 15, 19; 17, 14; 1 Io 3, 8. 10. 12.

IV. AD ADIECTIVUM

104. Admodum graece imprimis Paulus adhibet **adiectivum neutrum** cum articulo loco substantivi abstracti, τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶν καὶ τὸ ἀσθενὲς τοῦ Θεοῦ ἰσχυρότερον. Recte tamen Vulgata vertit non « stultitia » et « infirmitas » sed et ipsa concrete : « quod (scl. quoque in casu) stultum est Dei... » 1 C 1, 25. Similiter distinctio ab abstractis apparet R 2, 4 « ... an divitias bonitatis (χρηστότητος) ... et longanimitatis (μακροθυμίας) contemnis ? Ignoras, quoniam benignitas (τὸ χρηστὸν) Dei ad paenitentiam te adducit ? » Hic ist χρηστότης proprietas Dei, τὸ χρηστόν autem modus quo hic et nunc Deus pro bonitate sua cum peccatore agit, retinens iram suam. Ph 3, 8 διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ « excellens bonum » potius quam ὑπεροχή = excellentia ; Ph 4, 5 τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν « modestia vestra (i. e. in actum et vitam deducta) nota sit omnibus ». Cf. R 9, 22 ; 1 C 7, 35 ; H 6, 17 ; 7, 18.

105. Hoc **neutrum** etiam **de personis** adhibetur, si scl. imprimis qualitas efferrenda est, e. g. H 7, 7 τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται « quod minus est a meliore benedicitur » i. e. minores a melioribus. Confer etiam Io 3, 6 : τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς ... « quod natum est ex carne, caro est et quod natum est ex spiritu spiritus est » ubi utique primarie intellegitur « qui natus est », sed neutrum huic principio simul eam dat absolutam universalitatem qua ordo naturalis et supernaturalis distinguuntur et (ratione sui) separati sunt.

106. Adiectivum verbale in -τός praevalenter quidem, sed minime semper, habet sensum passivum sicut in ἀγαπητός dilectus ; saepe habet sensum activum sicut συνετός (ex συνίημι intellego) intelligens, ἄρεστος (ἀρέσκω) bene placens ; ἄψευστος non mentiens, veridicus. Haud raro idem adiectivum verbale active et passive usu venit e. g. δυνατός active : potens, δυνατόν passive : possibile ; αὐθαίρετος ab ipso electus et ipse eligens = sponte ; ἀναντίρρητος pass. : cui contradici non potest i. e. absolute verus A 19, 36, et active ἀναντιρρήτως sine oblocutione A 10, 29. Hinc duplex fieri potest derivatio e. g. adiectivi ἄσωτος, aut passive : qui servari non potest desperata sa-

lute, aut active: qui (rem familiarem) servare non potest: prodigus. Ideo adi. verbale θεόπνευστος 2 T 3, 16 ex quo inspirationem Scripturae probare solemus, minime dici potest *vi formae* univocum. Ex se potest reddi active « Deum spirans » sicut et passive « divinitus inspiratus ».

107. Usus formarum **comparativarum** in lingua biblica ex duplici fonte modificatur: ex influxu semitico et ex generali evolutione linguae popularis.

109. *a*) Ex influxu semitico. Cum linguae semiticae formis comparativis careant, etiam in lingua biblica interdum positivus adhibetur sive pro comparativo sive pro superlativo:

110 α) *Positivus pro comparativo*: Sensus comparativus alicuius adiectivi cognoscitur ex subsequente ἤ vel (in LXX saepe) παρά, ὑπέρ, ἀπό (hebr. *min*), e. g. Mc 9, 45 habet: καλόν ἐστιν... ἤ « melius est tibi claudum introire in vitam quam... ».

Similiter post substantivum sicut Lc 13, 2 ἁμαρτωλοὶ παρὰ πάντας « peccatores ceteris maiores », vel 15, 7 χαρὰ... ἔσται ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ... ἢ ἐπὶ ἐνενήκοντα ἐννέα δικαίοις: « maius gaudium erit... quam... ». — Immo vel apud verbum interdum omittitur μᾶλλον sicut 1 C 14, 19 θέλω (= malo) πέντε λόγους... λαλῆσαι... ἢ μυρίους. Lc 18, 14 publicanus dicitur abiisse ex templo δεδικαιωμένος παρ' ἐκεῖνον: « iustificatus potius quam ille », id quod *hic* aequivalet: « iustificatus, non autem ille, in oppositione ad llum » sicut Ps 45 (44), 8 ἔχρισέν σε Θεὸς... παρὰ τοὺς μετόχους σου « te unxit... prae consortibus tuis ».

Vel etiam sine ἤ e. g. « συμφέρει σοι ut pereat unum membrorum tuorum καὶ μή totum corpus mittatur in gehennam » Mt 5, 29. 30, ubi sensus certe est « melius est tibi... *quam* ut... » cf. Io 11, 50.

111. β) *Positivus* semitice stat *pro superlativo*, ubi de collectivitate agitur. Ideo salutatio qua Elisabeth Mariam recepit: εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν per se vertenda esset « benedictissima tu es inter mulieres » Lc 1, 42, non aliter ac in Cant 1, 8 ἡ καλὴ ἐν γυναιξίν est « pulcherrima inter mulieres ». Item ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ est mandatum maximum Mt 22, 36. Similiter in comparativo Lc 9, 48 ὁ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων οὗτός ἐστιν μέγας, quod dicit: « minimus inter vos maximus est ». Cf. etiam 1 C 12, 23; H 8, 11; 4 Reg 10, 3; 1 Sam 15, 9; Amos 2, 16; Mich 7, 4.

112. *b*) Altera modificatio habetur ex generali evolutione linguae popularis, quae eo tendit, ut inter pluralitatem et dualitatem non iam distinguatur. Atqui in hac sola distinctione fundatur distinctio inter comparativum et superlativum (« verum » seu « relativum ») : « maior » dicitur qui magnitudine eminet inter duos, « maximus » qui magnitudine eminet inter plures. Sublata distinctione inter dualitatem et pluralitatem, tollitur etiam distinctio inter comparativum et superlativum et ideo comparativus incipit stare etiam pro superlativo et quidem pro superlativo « vero » seu « relativo » (e. g. 'maximus inter') et pro « elativo » (e. g. maximus = 'valde magnus').

113. Ideo non mirum est, si Paulus scribit 1 C 13, 13 « manent fides, spes, caritas, tria haec, maior autem horum est caritas » (comparativus pro superlativo « vero »). In A 17, 22 Paulus Athenienses laudat agnoscens eos ὡς δεισιδαιμονεστέρους «superstitiosiores », quod nihil aliud est quam « valde pios » (comparativus pro superlativo « elativo »). Similiter si A 24, 22 Felix dicitur distulisse iudicium ἀκριβέστερον εἰδὼς τὰ περὶ τῆς ὁδοῦ, noli quaerere, quo vel quibus accuratius Felix sciverit doctrinam eorum, sed verte cum Vg « certissime sciens », vel fortasse etiam melius « certo », « accurate sciens ».

113a. Videtur enim *comparativus* (fortasse viâ elativi debilitati) adhiberi etiam *pro simplici positivo.* Ita τάχιον (« celerius ») potest stare pro « cito », « celeriter » (sicut pro « celerrime »), ubi Dominus proditori dicit : « quod facis (= facturus es) fac citius » Io 13, 27. Etiam 1 T 3, 14 τάχιον significat simpliciter « mox ». Ideo neque A 17, 21 in ἀκούειν τι καινότερον nescio quid quaerendum est, quasi Athenienses semper aliquid adhuc recentius voluerint dicere et audire. Καινότερόν τι omnino videtur aequivalere simplici καινόν τι (nisi quis mavult hunc comparativum sumere pro superlativo : « aliquid quam maxime novum »). Ideo etiam Lc 11, 54 περὶ πλειόνων a Vg recte redditur « de multis ».

114. Quodsi igitur comparativus saepe stat pro superlativo et, ut videtur, interdum pro positivo, viceversa superlativus stat pro comparativo in duobus tantum adiectivis : πρῶτος adhibetur loco πρότερος et ἔσχατος loco ὕστερος (cf. e. g. Mt 21, 28. 31 ; 27, 64, e contra Mt 21, 37 ; Mc 16, 14 ; Lc 20, 32). Illud prius aliquo modo exegesim spectat. Si enim huius usus hellenistici ratio non habe-

retur et verba Lucae canone classicorum sumerentur, ex initio libri Actuum concludendum esset S. Lucam plus quam duos libros scripsisse vel saltem scribere voluisse (1). Nam incipit, ad evangelium suum se referens: Τὸν μὲν π ρ ῶ τ ο ν (non πρότερον!) λόγον ἐποιησάμην. Πρῶτος autem, utpote superlativus, c l a s s i c e praesupponeret pluralitatem, cum de dualitate πρότερος esset adhibendum.

115. Item in lingua litteraria sat univocum esset vexatissimum illud S. Lucae (2, 2): αὕτη ἡ ἀπογραφὴ π ρ ώ τ η ἐγένετο ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου ; diceret enim censum illum fuisse primum in serie subsequentium et factum esse praeside Quirinio. Hellenistice autem res sat complicatur. Potest enim etiam intellegi: ille census *prior* erat ex duobus qui fiebant sub Quirinio, immo cum breviloquentia: ille census prius factus est quam census (magis notus) quem fecit Quirinius (Lagrange) (2).

116. Neglectus categoriae dualitatis in lingua hellenistica efficit etiam ut ἕτερος stet pro ἄλλος et viceversa τίς pro πότερος; immo hic neglectus eo usque procedit, ut vel ἀμφότεροι « ambo » etiam de pluribus adhibeatur et « omnes » significet. Hic usus agnitus quidem erat ut byzantinus, sed papyri eum ostendunt iam in tertio et secundo saeculo, ita ut non desint auctores (e. g. Radermacher, K. Lake) qui etiam in A 19, 16 illud κατακυριώσας ἀμφοτέρων « dominatus amborum » referant ad omnes 7 filios Scephae, exorcistas iudaeos, de quibus v. 14 mentionem facit. Conferri potest A 23, 8 ubi τὰ ἀμφότερα se refert ad *tres* doctrinas enumeratas: resurrectionem, angelos, spiritum.

---

(1) Hoc revera Th. Zahn propugnat (*Apostelgeschichte* [1919] p. 16-18) optime quidem sciens linguam vulgarem distinctionem inter πρῶτος et πρότερος neglegere, sed non admittens Lucam pro sua eruditione potuisse uti tali vulgarismo in prooemio (!) libri.

(2) Tandem est qui explicare voluerit « primam » descriptionem tamquam « initium » descriptionis conferens Herod. 7, 92: ἀφ' ἧς ὁ χειμὼν ὁ πρῶτος ἐγένετο « ex quo tempestas coepit » et Tucyd. 1, 55; 2, 22. Etiam 1 Sam 14, 14 καὶ ἐγενήθη ἡ πληγὴ ἡ πρώτη vertitur: « et initium caedis erat quod percussit Ionathas... viginti virorum » (Talvacchia).

V. AD NUMERALIA

117. Sicut hebraice dies mensis numeris cardinalibus designantur, ita etiam in NT primus dies hebdomadae (dies dominica) est μία σαββάτων : Mt 28, 1 « in prima sabbati » εἰς μίαν σαββάτων. Similis hebraismus habetur Apc 9, 12 ἡ οὐαὶ ἡ μία ἀπῆλθεν Vg « vae unum (= primum vae) abiit ».

118. Ad generalem linguae graecae (sicut et aliarum linguarum) evolutionem pertinet, si iam in NT numerale εἷς subintrat pro τὶς et evadit quasi articulus indeterminatus (adiuvante simul influxu semitico, hebraico scl. *'eḥad* et aramaico *ḥad*) : εἷς γραμματεύς Mt 8, 19 ; ἐπερωτήσω ὑμᾶς ἕνα λόγον Mc 11, 29 etc. ; sed etiam utrumque simul invenitur : εἷς τις Lc 22, 50.

119. Neglecta dualitate (ὁ) εἷς stat pro ὁ ἕτερος : οἱ δύο υἱοί μου, εἷς ἐκ δεξιῶν καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων Mt 20, 21 (G 4, 24 ; A 23, 6).

120. Distributive adhibetur loco ἀνὰ δύο: δύο δύο Mc 6, 7 sicut συμπόσια συμπόσια Mc 6, 39, id quod linguae vulgaris est proprium, graecae non minus quam hebraicae, aramaicae, copticae etc. ; quapropter in NT potius influxui semitico est adscribendum. — Ad εἷς καθ' εἷς cf. **5**[a].

120[a]. Mc 4,8 legimus : « et aliud (semen) . . . dabat fructum . . . et afferebat εἰς τριάκοντα καὶ ἐν ἑξήκοντα καὶ ἐν ἑκατόν. Ad hanc lectionem (codicis B εἰς . . . ἐν . . . ἐν) dicit Klostermann : variatio sensu caret, lectio in S : εἰς . . . εἰς . . . εἰς est correctio. Legatur cum A D W Q εν . . . εν . . . εν et intellegatur ut ἓν . . . ἓν . . . ἕν (item v. 20) et quidem ita ut ἓν sit signum multiplicationis (Aramaismus : Wellhausen) et ἓν ἑκατόν = ἑκατονταπλασίονα = centuplum.

121. Ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά (Mt 18, 22) non est « septuagies septena (70 × 7) » sed « septuagies septies » (= 77[ies]) sicut Vg recte reddit hic et Gen 4, 24 ubi LXX eandem habent imperfectam expressionem. Cum autem in Gen de vindicta agatur et hic de venia, allusio volita ad locum illum admodum est probabilis (Moulton).

VI. AD ARTICULUM

122. Articuli est monstrare (originarie erat pronomen demonstrativum), determinare, separare ab aliis, individuare aliquid ut h o c (non ut tale). Semper et cum certitudine igitur articulus nobis prodit, rem auctori scribenti ut determinatam et notam ob oculos versatam esse, quo tamen s e n s u res auctori determinata fuerit, haud raro n o b i s non liquet, quamvis hoc exegetice interdum sat magni momenti esset.

123. E. g. Lc 16, 15 legimus Dominum dicentem Pharisaeis: ὑμεῖς ἐστε ο ἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων. Cur articulus οἱ isque in praedicato? Certo, quia Dominus loquitur de iustificantibus se qui auditoribus omnino noti sunt et determinati. Probabiliter sunt ii, qui in populo noti sunt ut «sancti» in Israel, quos tamen Iesus non «sanctos» et «iustos» dicit, sed homines qui fraude se iustos exhibere sciunt coram hominibus. At est, qui articulum illum ut «anaphoricum» sumpserit, referentem scl. ad id quod antecedit, imprimis ad parabolam de villico iniquo, cuius applicatio et simul clavis haberetur in illo ὑ μ ε ῖ ς ἐστε οἱ δικαιοῦντες ἑαυτούς, ad analogiam illius «T u es ille vir», quo Nathan propheta suam applicavit parabolam. At si articulus noster recte sic intellegitur i. e. tamquam indicans applicationem parabolae, tota illa parabola omnino novo modo interpretanda esset ([1]). Quidquid sit de illa nova interpretatione, nostra hic interest tantummodo illustrare et magnum momentum et frequentem ambiguitatem articuli.

124. Vel aliud exemplum: quid sibi vult articulus, ubi Dominus ante sermonem montanum dicitur ascendisse εἰς τὸ ὄρος Mt 5, 1? Ille articulus p o t e s t indicare, tempore Evangelistae notum fuisse u n u m sermonem Domini prae ceteris memorabilem eumque in monte noto et determinato habitum. Sed idem articulus etiam explicatur, si τὸ ὄρος simpliciter est illa corona elevata et clivosa qua lacus Genesareth undequaque fere cingitur, ita ut ex qualibet parte ripae

([1]) R. Pautrel, cf. *Verb. Dom.* 25 (1947) 543; 172-76.

εἰς τὸ ὄρος ascendatur. In hoc casu igitur articulus in mente auctoris supponeret et nobis proderet regionis circa lacum claram visionem eandemque visionem in expertis lectoribus evocaret. Sed quia Iesus recedens a turbis semper (novies) dicitur ascendisse εἰς τὸ ὄρος fortasse agitur de formula sicut e.g. germanice dicitur *in's Gebirge gehen, auf das Feld, auf das Land.*

125. Item cognitio usus qui tunc in Palaestina observabatur in invitandis convivis reflectitur ex eo quod auctor sponte articulum adhibet scribens «et misit τ ὸ ν δοῦλον αὐτοῦ hora caenae» Lc 14, 17. Articulus per se posset etiam indicare «unicum suum servum», quod tamen contextui parum convenit, dicit igitur potius illum servum, quem immediate ante caenam mittere solebant, quique inde termino technico «vocator» appellabatur.

125a. Paulo ὁ Κύριος Christus est, Κύριος Jahve. Et tamen in vexatissimo illo textu 2 C 3, 17: ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν considerato contextu ὁ Κ. videtur esse Deus. Versus 17 enim explicat (δέ! cf. **325**) v. 16 ubi in citatione ex LXX agitur de «conversione (Iudaeorum) ad Dominum (πρὸς Κύριον)». Ad hunc κύριον se referens (articulo «anaphorico») Paulus prosequitur ὁ δὲ Κ. (i. e «iste autem Dominus de quo hic sermo est») τὸ πνεῦμά ἐστιν. Etiam articulus in praedicato τὸ πν. videtur «anaphorice» illum Spiritum significare de quo in contextu praecedente iteratim sermo erat.

126. Quam eloquens et significationis praegnans articulus esse possit ostendit etiam textus Ph 2, 2.3: Paulus admonet ut Philippenses sint τ ὸ ἓν φρονοῦντες et τ ῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. Articuli indicant Paulo et Philippensibus esse aliquod unum (τὸ ἕν) omnino determinatum et admodum notum, quod mentes et corda omnium implens animorum unitatem efficit, et humilitatem esse ipsam illam Christianorum propriam quam tantopere inculcavit et modo iterum inculcaturus est exemplo Dei incarnati. — Quodsi R 4, 20 Abraham, iussus filium sacrificare, dicitur non haesitasse τῇ ἀπιστίᾳ articulus diffidentiam effert tamquam notam illam qua homo in rebus admodum arduis ad non credendum induci solet. Sed huiusmodi exemplorum est legio.

127. Omissio articuli prodit loquentem respicere rem vel personam non tam ut h a n c sed potius ut t a l e m, i. e. respicere in ea non individuum sed potius qualitatem et naturam.

128. Ideo in scholis didicimus «regulam»: praedicatum caret articulo. Solet enim praedicatum genus esse sub quo subiectum subsumitur, natura vel qualitas, quae de subiecto praedicatur: e. g. Io 1, 1 καὶ θεὸς ἦν ὁ Λόγος, ubi Verbo tribuitur n a t u r a divina (καὶ ὁ θεὸς ἦν ὁ Λόγος saltem in NT enuntiaret identitatem personarum Patris et Verbi).

129. Si Paulus Ph 1, 21 scribit: ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστός, iam articulus admonet τὸ ζῆν esse subiectum [1] et Χριστός praedicatum (non, sicut saepe sumitur, vice versa). Et hoc est magni momenti, nam sensus omnino alius fit prout τὸ ζῆν agnoscitur vel ut subiectum vel ut praedicatum: «Christus mihi vivere (praedicatum) est» suggerit ideam Christi inhabitantis in Paulo ut principii vitae supernaturalis. E contrario «mihi vivere (subiectum) Christus est» invertit rationem principii et principiati et dicit: vita mea f r u c t i f i c a t Christum. Et ita de facto ipse contextus subsequens rem explicat. Resumens enim illud «mihi vivere Christus est» dicit: εἰ δὲ (δέ illativum!) τὸ ζῆν ἐν σαρκί, τοῦτό μοι κ α ρ π ὸ ς ἔργου... Fructus autem vitae Pauli «Christus» dici potest, quia Paulo opus vitae suae est «aedificatio corporis Christi». Revera non de principio vitae sed de effectu et fructu vitae sermonem esse totus contextus postulat. Quaestio enim est, quid praeferendum sit, vita an mors. Incertus haeret Paulus, quia e f f e c t u s utriusque idem est: «magnificabitur Christus... sive per vitam sive per mortem». Quomodo «per vitam»? Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστός.

130. Exemplum hoc ostendit quam longe — idque profecto non inutiliter — interdum ducere possit articulus, qui distinguere solet subiectum et deficere solet in praedicato. «Solet» dico, nam plus unā potest esse ratio ponendi articulum in praedicato, e. g. si notio praedicati non genus exhibet, naturam, qualitatem (maiorem habens «extensionem»), sed singularis est vel ut singularis concipitur, ita ut convertibilis sit cum subiecto e. g. οὐκ εἰμὶ ὁ Χριστός Io 1, 20; vel ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή Io 14, 6; ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς Mt 5, 12 etc. Ideo etiam in exemplo nostro Ph 1, 21 (si extra contextum sumitur) τὸ ζῆν p o s s e t concipi ut praedicatum («vita mea» unice vera).

---

(1) Quod articulus suggerit tantum, certum evadit iam ex parallelismo cum sequente: καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, ubi τὸ ἀποθανεῖν certo subiectum est.

4

130ª. Usum articuli in praedicato diligentur investigavit E. C. Colwell in J. B. L. 52 (1933) 12-21. Auctor sibi videtur ostendisse usum et omissionem articuli (apud nomina *determinata*) admodum dependere a *positione* nominis praedicativi ante vel post verbum. Ante solet verbum omitti (etiam si nomen certo est determinatum), post verbum solet poni. Haud pauca sunt exempla valde persuasiva : Io 1, 49 σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, σὺ βασιλεὺς εἶ τοῦ Ἰσραήλ vel Io 19, 21 « noli scribere ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων sed quia ipse dixit βασιλεύς εἰμι τῶν Ἰουδαίων. Idem titulus cum articulo *post* verbum Mt 27, 11. 37 ; Mc 15, 2 ; Lc 23, 3. 27 ; Io 18, 33. Similiter titulus « Filius Dei » in praedicato : decies ter cum articulo, semper post verbum, decies sine art. quorum novies ante verbum. Alia bona exempla vide Mt 13, 37-39 et Mt 23, 8-10. Ex hoc pro exegesi sequeretur : nomen *praecedens* verbum et carens articulo, propter *solum* defectum articuli nondum *debet* intellegi qualitative (e. g. Io 1, 1, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος). Nomen *sequens* verbum et carens articulo a fortiori sumi debet qualitative. Theoria exposita valde seducens est. Tamen arduum est rationem pro usu articuli agnoscere in aliqua re (in positione verborum) quae ad categoriam omnino disparatam pertinere videtur (¹).

131. Defectus articuli, diximus, attentionem ad naturam rei revocat. Quapropter in a b s t r a c t i s , utpote quae per se naturam dicunt et ideo articulo carent, attendendum est ad articulum, qui universalem naturam applicando determinat. Nota e. g. quanta sit sensus differentia inter χάρις cum et χάρις sine articulo in E 2, 8 et 5 : τῇ γὰρ χ ά ρ ι τ ί ἐστε σεσωσμένοι διὰ πίστεως. Ἡ χάρις hic ex mente Apostoli amplectitur totum opus redemptionis, factum illud concretum et historicum utique prout soli misericordiae et liberalitati Dei debetur et ideo « gratia » denominatur. E contra in v. 5 exclamatio illa χ ά ρ ι τ ί ἐστε σεσωσμένοι totam attentionem revocat ad m o d u m, ad rationem et viam salvationis nostrae, quae est salvatio ex g r a t i a divina « non ex o p e r i b u s (nostris) ».

131ª. Et quantam differentiam sensus (et doctrinae) infert usus vel omissio articuli ubi Paulus de lege (νόμος) loquitur! In sola epistula ad Galatas νόμος occurrit decies cum articulo et vicies semel

(¹) Idem, et etiam magis, dicendum est de conatu quo usum et omissionem articuli (non in praedicato tantum) explicare studuit Eugenius Lemoine in opusculo *Théorie de l'emphase grecque classique et biblique*, Paris 1954 Paul Geuthner (12, rue Vavin). Theoria nititur in distinctione inter duo genera enuntiationum quae Auctor appellat ἐμφάσεις et ἐννοήσεις.

sine articulo. Quamvis singuli casus individualiter ponderandi sint (**136**), tamen generatim valet : ὁ νόμος est Lex mosaica, νόμος autem est (in contectu utique plerumque etiam mosaica, non autem ut t a l i s sed potius) lex u t l e x , est ipsum principium legalitatis, ubicumque et in quacumque lege verificatur.

132. Vel pondera, quid implicet articulus, si Ioannes (vel Dominus apud Ioannem) loquitur de ἡ ἀλήθεια, τὸ φῶς, ἡ ζωή ! In his articulis fremit aliquid illius redundantis plenitudinis et persuasionis, cui prae hac Veritate, Luce, Vita, quae Christus est, omnes aliae 'veritates', 'luces', 'vitae' evanescunt et quasi non iam merentur appellari nominibus 'veritatis' vel 'lucis' vel 'vitae'. Similiter ex parte opposita : ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμός καί ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, ubi articulo innuitur ille planctus omnium planctuum, qui insuper nunc iam plangitur, plene notus utique soli Domino, qui de eo hic loquitur.

133. In abstractis igitur attendendum est ad articulum. Vice versa in c o n c r e t i s attendendum est ad omissionem articuli, ubi scl. articulus per se expectaretur vel ex contextu stare posset. In his enim casibus attentio revocatur. ad rei naturam potius et qualitatem. Et hoc interdum haud parum sensum et vim enuntiati afficit. E. g. H 12, 7 τίς γὰρ υἱός, ὃν οὐ παιδεύει πατήρ. Hoc non bene verteres « quis est i l l e filius, quem pater e i u s non corripit », quasi appellatio fiat ad experientiam concretam (hoc requireret ὁ υἱός et ὁ πατήρ). Omissio autem articulorum admonet, argumentationem fieri ex conceptibus (« filii » et « patris »), ex natura rerum, quasi Apostolus dicat : quis vere filius est (opponitur « adulterus » = « spurius » v. 8) quem non corripiat pater, scl. qui non tantum est genitor sed, quod multo plus dicit, veri nominis « pater ».

134. Lc 10, 21 « Confiteor tibi, Pater, quod abscondisti haec ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν et revelasti ea νηπίοις » qualitatem respicit et nexum causalem innuit inter qualitatem illorum hominum et correspondentem modum agendi ex parte Patris. — Si Paulus dicit : « desidero ut in Christo inveniar μὴ ἔχων ἐ μ ὴ ν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου . . . », defectus articuli in ἐμὴν δικαιοσύνην fortiter urget qualitatem illius iustitiae et fere vertendus est « non habens iustitiam q u a e s i t m e a , illam scl. quam observatio legis dat in oppositione ad iustitiam, quae est ex Deo (Ph 3, 9).

135. Vel si S. Paulus id quod intrinsecus expertus est, cum praedicaret evangelium Thessalonicensibus, describit dicens : « nostra ad vos praedicatio non verbis tantum facta est ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει καί ἐν π ν ε ύ μ α τ ι ἁ γ ί ῳ καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ... » 1 Th 1, 5, omissio articuli in

ἐν πνεύματι ἁγίῳ videtur admonere, Paulum hic non tam de tertia persona divina loqui quam de Eius actione, de quodam scl. afflatu divino, quem praedicator expertus est et quem apte ponit in una linea cum δύναμις et πληροφορία quae et ipsae sunt ordinis psychologici et divinitus datae [1].

136. Attamen in hoc ultimo exemplo defectum articuli urgemus tantummodo, quia sensus inde oriens etiam a contextu commendatur, minime negantes in alio contextu expressionem praepositionalem ἐν πνεύματι ἁγίῳ aequivalere posse phrasi ἐν τ ῷ Πνεύματι Ἁγίῳ, idque ex duplici ratione. Intrat enim hic difficilis et obscura quaestio de usu vel non usu articuli apud n o m i n a « p r o p r i a ». Insuper in expressionibus p r a e p o s i t i o n a l i b u s defectus articuli (ἐν οἴκῳ, ἐπὶ γῆς etc.), nisi forte accedat genitivus determinans (ἐν οἴκῳ πατρός), iam c l a s s i c e non habet quicquam, quod admirationem moveat et in lingua hellenistica augetur tendentia ad omittendum articulum post praepositionem. In lingua b i b l i c a autem, ubi fere semper suspicio est influxus semitici, defectus articuli etiam c u m sequenti genitivo negligi potest, quia semitice correspondet nomen in statu « constructo », quod semper articulo caret.

137. Habes igitur tres casus in quibus defectus articuli apud substantivum concretum et determinatum n o n urgeri potest : nomina propria, expressiones praepositionales, substantivum cum sequenti genitivo (i. e. possibilem influxum subiacentis status constructi). Accedit quasi lex : si nomen regens articulo caret etiam genitivus inde dependens per quamdam assimilationem stare solet sine articulo.

138. Repetito articuli duos conceptus d i s t i n g u i t , e contrario subsumptio plurium sub uno articulo eorum aliquam unionem si non identitatem indicat. Ita 1 Th 1, 7.8 « facti estis forma omnibus ἐ ν τ ῇ Μακεδονίᾳ καὶ ἐν τ ῇ Ἀχαίᾳ » duas provincias distinguit. Statim postea Apostolus prosequitur : « a vobis enim divulgatus est sermo Domini non solum ἐ ν τ ῇ Μακεδονίᾳ καὶ Ἀχαίᾳ, ἀλλ' ἐν παντὶ τόπῳ », ubi eaedem provinciae unitae opponuntur « omni loco ». — Epistula concilii Hierosolymitani tres regiones (destinatarias) sub uno articulo coniungens (A 15, 23) fortasse dici potest dissuadere

---

[1] Simile aliquid dicendum est, ubi Lucas loquitur de « Spiritu Sancto » sine articulo e. g. 1, 15. 35. 41. 67 ; 2, 25 (ubi sequitur bis πνεῦμα cum articulo a n a p h o r i c o v. 26. 27) etc.

potius destinationem ampliorem clausularum quae communicantur, id quod momento non careret. — Ph 1, 19: « scio quia hoc mihi proveniet ad salutem διὰ τῆς ὑμῶν δεήσεως καὶ ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ». Hic unitas articuli prodit, ex mente scribentis intime unitas esse fidelium orationem et subministrationem Spiritus Iesu, immo fere tentari quis potuerit ut orationem fidelium consideret tamquam ipsam subministrationem Spiritus Iesu (ita ut « Spiritus Iesu » esset genitivus obiectivus). — 1 Th 2, 12 Deus « vocavit vos εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν. Hic unitas articuli « regnum » intime coniungens cum « gloria » suggerit, regnum, sicut gloriam, eschatologice esse intellegendum i. e. de illa condominatione cum Christo et Deo ad quam vocati sumus (cf. 1 C 4, 8). — Pulchre A 20, 21 obiectum praedicationis dicitur esse « conversio ad Deum et fides in Christum », sed sub uno articulo, ut fere intellegas « conversionem ad Deum per fidem in Christum ». — Ph 2, 17 ἡ θυσία καὶ λειτουργία est « servitium sacrificale ». — Ph 1, 25 εἰς τὴν ὑμῶν προκοπὴν καὶ χαρὰν πίστεως: « ad vestrum in gaudio fidei progressum ». — H 5, 2 τοῖς ἀγνοοῦσιν καὶ πλανωμένοις = « ex ignorantia errantibus ». — Altera ex parte ne res nimis prematur admonent fortasse exempla sicut 2 C 8, 4. 19. 24; 9, 13; 1 P 4, 14.

139. Interdum unitas articuli vel ipsam divinitatem Christi supponere et exprimere videtur e. g. E 5, 5 ἡ βασιλεία τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ vel T 2, 13 « exspectantes adventum gloriae τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ »; cf. etiam 1 C 1, 13; 2 P 1, 1. Dixi « suggerere videtur » divinitatem, non enim simpliciter eam « probat », cum ad explicandam unitatem articuli quaelibet sufficiat conceptuum ex mente scribentis coniunctio.

140. Distinctio inter **usum attributivum et praedicativum** adiectivorum imprimis cernitur ex positione adiectivi, quae est aut inter articulum et substantivum: ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος (vel repetito articulo post substantivum: ὁ ἄνθρωπος ὁ ἀγαθός) aut sine articulo extra compositum articuli et substantivi. In hoc casu praedicative dicitur adhiberi e. g. Io 5, 36 ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω, quod idem est ac ἡ μαρτυρία ἣν ἔχω μείζων ἐστιν, vel potius ἔχω μαρτυρίαν ἣ μείζων ἐστίν.

141. Adiectivum sine articulo i. e. in positione praedicativa aequivalet igitur propositioni relativae et hinc fortasse solutio hauriri potest difficultatis quam exegetae habent in H 9, 1 ubi dicitur: « habuit

quidem et prius (Testamentum) δικαιώματα λατρείας τό τε ἅγιον κοσμικόν i. e. «legislationem cultualem et sanctuarium terrestre», quasi Novum quoque Testamentum suum habeat sanctuarium terrestre. Si tamen adiectivum κοσμικόν propter defectum articuli propositione relativa reddimus, intellegere possumus: «habuit quidem et prius Testamentum... sanctuarium suum quod (utique) erat terrestre (tantum), in oppositione scl. ad sanctuarium Novi Testamenti quod est caeleste (cf. 8, 5) et non manufactum (cf. 9, 11).

142. Hic usus attributivus et praedicativus adiectivi determinat etiam diversitatem sensuum quos habere potest adiectivum πᾶς. Attributive positum dicit rei vel rerum complexum, summam (in oppositione ad partem) e. g. ἦσαν οἱ πάντες ἄνδρες ὡσεὶ δώδεκα = «summa virorum erat duodecim» A 19, 7 (cf. 27, 37); ὁ πᾶς νόμος = «universa lex» G 5, 14. Praedicative positum πᾶς excludit exceptiones e. g. πᾶς ὁ νόμος = «integra lex nullo praecepto excepto»; πάντες οἱ ἄνδρες = «omnes viri sine exceptione». In singulari πᾶς sine articulo est «quilibet» seu habet vim distributivam: πᾶς ἄνθρωπος «omnis homo»; πᾶσα χαρά «quidquid gaudium est» Iac 1, 2; μετὰ πάσης παρρησίας «cum plena libertate» A 4, 29. Cum articulo significat «totum» (1)

142a. Ideo in πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος 2 T 3, 16 recte insistitur in defectu articulo ad demonstrandum, inspirationem respicere Scripturam in quantum est *scripta*: πᾶσα γραφή = quidquid (ideo quatenus et quia) scriptum est. E contrario πᾶσα ἡ γραφή θεόπνευστος solum factum statueret ratione formali nullo modo significata.

143. Notandum tamen est, sub influxu idiomatis semitici πᾶς etiam sine articulo adhiberi pro «totum» e. g. πᾶσα Ἱεροσόλυμα = «tota Urbs» Mt 2, 3; πᾶς οἶκος Ἰσραήλ = «tota domus Israel» R 11, 26; A 2, 36. Hinc interdum res ambigua esse potest e. g.: «in Christo πᾶσα οἰκοδομὴ... αὐξάνει εἰς ναὸν ἅγιον» (E 2, 21) classice significaret «singula aedificia» vel «quidquid aedificatur». Semitice autem potest stare et hic stat pro «totum aedificium».

---

(1) Notetur defectum et usum articuli cum πᾶς in ultima analysi non habere alias rationes ac eas quae supra (**122. 127**) generaliter statutae sunt (Cf. J. M. Bover in *Biblica* [1932] 411-434).

144. Haec eadem ambiguitas maioris est momenti in A 17, 26 « fecitque Deus ex uno πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων inhabitare ἐπὶ παντὸς προσώπου τῆς γῆς». Nam si hic πᾶν ἔθνος significat « totum genus humanum » habes simplicem allusionem ad creationem hominis et ad unitatem generis humani, quae erat idea praedilecta etiam philosophorum stoicorum tunc praesentium inter auditores S. Pauli in Areopago. Si autem πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων significat (classice) « singulos populos hominum » quos Deus habitare fecit in suis quemque finibus praestabilitis et per tempus divinitus praefixum, habes ideam omnino aliam, ideam scl. de Deo, domino historiae, supremo gubernatore populorum et nationum, habes theologiam quamdam historiae, quae tunc solius populi Israel erat propria. Nota in eodem versu semiticum illud ἐπὶ παντὸς προσώπου τῆς γῆς, ubi πᾶς, quamvis sine articulo, certo significat « totam faciem terrae ».

145. Inter proprietates linguae hellenisticae habetur etiam frequentia, qua occurrit substantivum sine articulo, quod sequitur adiectivum cum articulo, ubi scl. nomen prius generice sumitur et postea ut adiectivo determinatum resumitur e. g. A 7, 35 « Moysen Deus misit σὺν χειρὶ ἀγγέλου τοῦ ὀφθέντος αὐτῷ ἐν τῇ βάτῳ » = « per manum alicuius angeli, illius scl. qui ei apparuit in rubo » ; vel εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν « pacem, eamque meam, do vobis » Io 14, 27 ; ταχὺ ἐξενέγκατε στολὴν τὴν πρώτην Lc 15, 22, et saepe: Lc 7, 32 ; 18, 9 ; A 11, 21 ; 25, 23 etc.

VII. AD PRONOMINA

146. Ad pronomina duo imprimis notanda sunt: magna eorum et pleonastica frequentia et subtiliorum distinctionum abolitio. Utriusque habenda est ratio ad rectam textuum interpretationem, saltem iis, qui tentati sunt diiudicare linguam biblicam secundum canones linguae classicae et litterariae.

1) Magna frequentia

147. Magna in usu pronominum frequentia debetur tendentiae, ut ita dicam, «analyticae», quae habetur in omni lingua viva, spontanea, populari, et consistit in quadam inclinatione ad exprimendum explicite, quod implicite iam in natura rei vel in forma grammaticali continetur. Ita colloquialiter vel ipse Plato pleonastice ponit pronomina e. g. ἔφην ἐγώ ὡς σὺ φῇς, etiam sine oppositione et emphasi. Colloquialis autem habendus est modus scribendi hagiographorum.

Quodsi insuper in lingua biblica frequentia horum pronominum pleonastice additorum etiam maior est quam in lingua graeca communi, hoc fortasse reduci potest ad influxum idiomatis semitici in quo magna facilitas suffigendi pronomina abundanti eorum usui favet.

148. Ideo **in casibus obliquis** fere numquam suspicanda est emphasis, quae classice (ne pleonasmus admittatur) plerumque supponenda esset. E. g. «et cum invenerit (ovem) imponit εἰς τοὺς ὤμους αὐτοῦ» Lc 15, 5 (imprimis apud partes corporis pronomen latine et graece omittendum esset) vel ibidem v. 20 «et surgens (filius prodigus) venit πρὸς τὸν πατέρα ἑαυτοῦ».

149. In nominativis pronominum personalium maior est suspicio cuiusdam emphasis. At ne hic quidem licet emphasim quasi intrudere, si contextus eam non facile admittit. Ita legimus apud Mc 6, 31 Dominum dicentem Apostolis: δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ' ἰδίαν... Vg «venite seorsum». Hic ὑμεῖς miro modo confortatur addito αὐτοί

et tamen cum versionibus latinis fortasse neglegendum est (¹). Similiter Lc 9, 44 θέσθε ὑ μ ε ῖ ς εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν «ponite v o s in auribus vestris», ubi vix oppositio subaudienda erit inter discipulos, qui admonentur et multitudinem «mirantium in omnibus quae faciebat». Cf. etiam Io 15, 16 ἔθηκα ὑμᾶς, ἵνα ὑμεῖς ὑπάγητε... «posui vos, ut (v o s) eatis et fructum afferatis». In hoc textu emphasis novum faceret sensum (oppositionem ad Jesum); similiter in Io 5, 39.

150. Imprimis Lc saepe adhibet αὐτός (in nominativo) non sensu suo proprio intensivo (= ipse), sed loco pronominis personalis tertiae personae, idque haud raro cum levissima vel sine ulla emphasi, e. g. ipso subiecto eodem manente Lc 16, 23 habet: «... dives... sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos... vidit Abraham... et Lazarum... καὶ α ὐ τ ὸ ς φωνήσας εἶπεν· πάτερ Ἀβραάμ...». Nota, quomodo omissio pronominis cursum cogitationis faciliorem redderet, cum αὐτός prima lectione erronee referri possit ad Abraham vel Lazarum. Hic usus incipiendi novam aliquam propositionem a καὶ αὐτός, quamvis in E v a n g e l i o S. Lucae sit frequentissimus (circa 40 in locis), tamen in Actibus, saltem sine emphasi, non habetur.

150ª. Aliquid omnino analogum dicendum est de usu quem Io facit pronominis ἐκεῖνος quod saepissime stat, etiam in nominativo, sine omni emphasi simpliciter ad indicandum subiectum in tertia persona.

151. Repetitio pronominis post pronomen relativum (e. g. γυνὴ ἧς εἶχεν τὸ θυγάτριον αὐτῆς πνεῦμα ἀκάθαρτον Mc 7, 25) in linguis semiticis est frequentissima utpote plerumque necessaria. Particula enim relativa hebraica *'asher* vel aramaica *di* est indeclinabilis et ideo opus habet ut quoad genus et casum determinetur subsequente pronomine personali. In NT hoc phaenomenon rarum est et fere ad Mc et Apc limitatur. Alterum Marci exemplum est dictum Ioannis Bap-

---

(¹) Moderni interpretes agnoscunt emphasim in hoc pronomine et vertunt «vos soli» (sicut Io 6, 15 habet in pericopa parallela αὐτὸς μόνος 6, 15), quo indicaretur separatio discipulorum facienda ab irruente turba. Alii vertunt «vous autres» (I. Huby), «vous aussi» (I.-M. Lagrange) et ita supponunt oppositionem ad ipsum Iesum qui antea iam κατ' ἰδίαν fuerat: «nunc etiam vos venite seorsum».

tistae Mc 1, 7 quod eodem semitico modo etiam a Lc 3, 16 refertur: ... οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ; cf. Mt 3, 12 = Lc 3, 17; Io 13, 26. Frequentiora sunt exempla in Apc: 3, 8; 7, 2. 9; 13, 8; 20, 8. Ex LXX est A 15, 17.

152. Recte huc trahuntur etiam casus, in quibus οἵα resumitur per τοιαύτη Mc 13, 19; οἷος per τηλικοῦτος Apc 16, 18; οἷα per οὕτως Mc 9, 3; ὅπου per ἐκεῖ Apc 12, 6. 14 vel per ἐπ' αὐτῶν 17, 9.

153. Hoc phaenomenon in NT certo considerari debet tamquam semitismus, quamvis idem modus dicendi iam classice (rarissime) occurrat, in Graeco moderno valde communis sit, nec analogiis in aliis linguis popularibus careat.

154. Pronominis usus prolepticus (1), quo scl. aliquod substantivum anticipatur pronomine, est aramaismus purus, qui in textu nostro fere expunctus est, in codice Bezae (D) autem aliqua habet exempla clara, quae correctionem effugerunt et suspicari sinunt, quales fuerint in hac re primae versiones serviles traditionis aramaicae. Exemplo sit Mt 12, 45 (D) «et fiunt novissima eius hominis illius (αὐτοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου) peiora prioribus»; Mc 5, 15 s (D) καὶ θεωροῦσιν αὐτὸν τὸν δαιμονιζόμενον ... διηγήσαντο δὲ πῶς ἐγένετο αὐτῷ τῷ δαιμονιζομένῳ.

155. In textu autem nostro aliqua saltem vestigia eiusdem aramaismi exstare videntur, quae si ut talia agnoscuntur, nil iam mirandum est de quibusdam pronominibus quae secus difficulter tantummodo ut intensiva explicantur, e. g. Mt 3, 4 αὐτὸς δὲ ὁ Ἰωάννης εἶχεν τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου (Vg «ipse autem Ioannes»). Similiter Mc 6, 17. 22 αὐτὸς δὲ ὁ Ἡρῴδης... εἰσελθούσης τῆς θυγατρὸς αὐτῆς τῆς Ἡρῳδιάδος...; Mc 12, 36 s αὐτὸς Δαυίδ...; Lc 10, 7 ἐν αὐτῇ δὲ τῇ οἰκίᾳ. Ex Io confer 9, 13 et 18. Fortasse ex originali aliquo aramaico ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς (αὐτοῦ) explicari potest, cur Mc 8, 38 habeat ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, cum Lc 9, 26 habeat ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ καὶ τοῦ πατρός.

---

(1) Cf M. Black, *An Aramaic Approach to the Gospels and Acts*, Oxford 1946 p. 70-74.

155a. Quaedam prolepsis (pronominalis), quae et ipsa idioma semiticum sapit, habetur ubi subiectum propositionis relativae (pronominaliter) anticipatur in propositionem principalem: Lc 2, 30 «viderunt oculi mei salutem *tuam* (τὸ σωτήριόν σου), quam parasti...»; Io 2, 23 «videntes signa *eius* quae fecit»; item 7, 3 τὰ ἔργα σου ἃ ποιεῖς; cf. 17, 24. Hoc idioma admonet de exemplis in VT sicut 3 Reg 12, 8 «... reliquit consilium *senum*, quod dederant ei» vel «in universis peccatis *Ieroboam* quae fecerat» 4 Reg 17, 22.

155b. Alias subiectum propositionis secundariae in primariam tamquam *obiectum* anticipatur: Io 5, 42 ... ἔγνω ὑμᾶς ὅτι τὴν ἀγάπην... οὐκ ἔχετε; Io 11, 31 ἰδόντες Μαριὰμ ὅτι ταχέως ἀνέστη «cum vidissent Mariam quia cito surrexit...». Item 4, 35; 6, 7; 7, 17; cf. Mt 25, 24.

156. In magna frequentia pronominum quae linguae hellenisticae et biblicae propria est, nullam partem habet **pronomen reflexivum.** Adhibetur quidem adhuc fere semper ubi tamquam obiectum immediate verbum suum sequitur (e. g. κρίνοντες ἑαυτούς), in omnibus autem aliis casibus plerumque neglegitur, imprimis in genitivo possessivo (1). Hic neglectus, etiam hellenisticus, augetur fortasse in lingua biblica eo quod pronomina suffixa hebraica-aramaica non distinguunt reflexiva a personalibus.

157. Quod f o r m a s attinet, pronomen reflexivum tertiae personae (ἑαυτοῦ) subintrat etiam in locum primae et secundae personae, idque in singulari saepe, in plurali semper (unica exceptio ὑμῶν αὐτῶν in citatione 1 C 5, 13), e. g. A 23, 14; 1 C 11, 31; 2 C 10, 12 etc.

158. Notandum etiam est formam contractam αὑτοῦ loco ἑαυτοῦ vix ac ne vix quidem in NT inveniri. Ideo precarium est velle legere αὑτοῦ ubi codices maiusculi habent sine ullo spiritu ΑΥΤΟΥ. Editio NT ab A. Merk curata saltem Io 2, 24; Lc 23, 12; A 14, 17 habet αὑτόν, αὑτούς, in Ph 3, 21 autem cum omnibus recentioribus αὑτῷ (quamvis sensus certo sit reflexivus): ὑποτάξαι α ὑ τ ῷ τὰ πάντα. Mirum est commentatores ad hunc usum rarissimum (pronomen imme-

(1) Apud solum Lucam invenitur gen. poss. ἑαυτοῦ ἑαυτῶν cum quadam frequentia et quidem, ut videtur, sine emphasi vel alia ratione, quae indicari possit; cf. Lc 15, 20: filius prodigus ἦλθεν πρὸς τὸν πατέρα ἑαυτοῦ; Act 14, 14.

diate post verbum **156**) nullam omnino habere adnotationem, quamvis hic Christo adscribatur id quod secundum 1 C 15, 25-28 (Ps 8, 7) Deo adscribitur.

159. Cum igitur de facto αὐτοῦ occurrat in sensu reflexivo, interdum ambiguitas oriri potest. Ita si E 2, 16 habet: « . . . et ut reconciliet ambos in uno corpore Deo διὰ τοῦ σταυροῦ, ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ, ubi ἐν αὐτῷ aeque significare potest « in semetipso » (Vg) sicut antea (v. 15), vel etiam « in cruce »; cf. etiam C 1, 20; 1 Io 5, 10; Iac 5, 20.

160. In NT **loco pronominis reflexivi** ad modum Semitarum interdum habetur ψυχή, cf. Lc 9, 24 cum 9, 25: « qui voluerit τὴν ψυχὴν αὐτοῦ salvam facere, perdet illam, qui perdiderit τὴν ψυχὴν αὐτοῦ . . . salvam faciet illam. Quid enim proficit homo si lucretur universum mundum, ἑαυτὸν δὲ perdat? ».

2) Neglectus distinctionum

Distinctiones subtiliores inter pronomina negleguntur. Ita apud

a) οὗτος et ὅδε

161. Οὗτος non iam sicut classice se refert ad antecedens tantum, sed adhibetur etiam de eo quod sequitur, ubi classice usurpabatur potius ὅδε.

b) οὗτος et ἐκεῖνος

162. Οὗτος et ἐκεῖνος de proxime remoteve antecedente (« hic » et « ille ») distinguitur quidem, sed ita ut pro vivacitate sermonis interdum « propinquitas » et « distantia » non grammaticaliter sed psychologice sumenda sit.

E. g. Petrus in synedrio post sanationem claudi loquens de Christo « quem Deus suscitavit a mortuis »: « Ἐν τούτῳ inquit οὗτος (paralyticus) adstat coram vobis sanus. Οὗτός est lapis qui reprobatus est . . . » A 4, 10 s. Alterum οὗτος se refert ad ἐν τούτῳ, ad Christum, qui grammaticaliter quidem est remotior, in mente oratoris autem (psychologice) est propinquior, utpote subiectum totius sermonis. Merito

notatum est, in LXX, utpote ab interpretibus qui pro natura operis sui carent ardore sermonis vivi, distinctionem illam inter οὗτος et ἐκεῖνος stricte grammaticaliter observari, idque quamvis haec distinctio in textu hebraico non habeat quod correspondeat.

c) ὅς et ὅστις

163. Pronomina relativa, « determinatum » ὅς et « indeterminatum » ὅστις, classice ita distinguuntur, ut qui adhibet ὅς, respiciat in antecedente (ad quod relativum se refert) individuum « determinatum », qui adhibet ὅστις, respiciat aut antecedens « indeterminatum » aut, si determinatum est, non ut « hoc », sed ut « tale » i. e. respicit in antecedente determinato non individuum, sed eius qualitatem vel naturam. In hoc ultimo casu relativum ὅστις facile induit sensum causalem (« utpote qui ») vel etiam consecutivum « [talis] qui » cum coniunctivo). Haec igitur distinctio aliquo modo sensum modificat et quidem eodem fere modo quo, ut supra (**127 ss**) vidimus, sensus mutatur, prout articulus ponitur vel omittitur.

164. In lingua autem hellenistica et biblica distinctio inter ὅς et ὅστις saepe neglegitur, imprimis apud Lucam, ita ut unum ponatur pro altero e. g. Lc 2, 4 « ascendit Ioseph ... εἰς πόλιν Δαυίδ, ἥτις καλεῖται Βηθλεέμ ». Hic vertere e. g. « utpote quae » omnino esset ineptum.

165. Non tamen necessario ita in haud paucis aliis casibus e. g. ubi antecedens est indeterminatum : Mt 7, 15 « attendite a falsis prophetis, οἵτινες (utpote qui!) ἔρχονται... ἐν ἐνδύμασι προβάτων »; sed etiam ubi antecedens est omnino determinatum e. g. Io 8, 53 « Numquid tu maior es patre nostro Abraham, ὅστις ἀπέθανεν ». Auctor adhibens ὅστις in Abraham non tam personam respicit sed quaitatem eius, qui scl. quantuscumque fuerit patriarcha tamen homo erat et mortuus est [1]. Vel si A 17, 1 legimus « cum autem perambulassent Amphipolim et Apolloniam venerunt Thessalonicam, ubi (ὅπου non οὗ) erat synagoga », recte suspicaris in ὅπου sensum causalem et cum aliqua probabilitate concludis : Amphipoli et Apolloniae Paulus

---

(1) Germanice redderem « der doch auch gestorben ist ».

non commoratus est, quia ibi non erat synagoga. Etiam Io 7, 42 optime convenit vertere ὅπου « utpote ubi » : ἀπὸ Βηθλεὲμ... ὅπου ἦν Δαυίδ ἔρχεται ὁ Χριστός.

165a. Ὅστις videtur non tantum significare posse « ut talis qui » sed etiam « qui ut talis » e. g. G 4, 24 de duobus testamentis : « unum ... in servitutem generans ἥτις ἐστὶν Ἀγάρ » : quae ut talis est Agar. Respiceretur igitur non qualitas in propositione relativa enuntiata (utpote qui...) sed qualitas in antecedenti enuntiata. — Ita fortasse etiam G 2, 4; 2 Th 1, 9 et saepius in parabolis : « ... assimilabitur viro sapienti ὅστις qui (ut talis) aedificavit ... » Mt 7, 24. 26.

166. Tandem ut sensûs *consecutivi* unum saltem afferamus exemplum : Mt 2, 6 legimus : « ex te enim exiet dux (ἡγούμενος sine articulo !), ὅ σ τ ι ς ποιμανεῖ τὸν λαόν μου ». Vg optime vertit « qui reg*a*t » (non sicut in graeco : futurum « reg*e*t »). Sensus igitur p o t e s t esse fere hic : ex te exiet dux qui talis erit ut vere pascat populum meum. Cf. 1 C 5, 1. — Sensum *concessivum* fortasse subaudire licet Lc 1, 20 « ... quia non credidisti verbis meis, quae (οἵτινες) implebuntur in tempore suo », fere = « quamvis sint talia quae ... », (germanice : *die doch*) ; cf. H 12, 5.

166a. Concedendum tamen est has omnes subtilitates remanere sat dubias. C. C. Cadbury (J. B. L. [1923] 150-57) considerat distinctionem inter ὅς et ὅστις (saltem apud Lucam) ut practice exstinctam. Eorum usus non tam a sensu pendet, quam a declinatione. Ideo in casibus o b l i q u i s semper simplex relativum, in n o m i n a t i v o : ὅς ἥτις ὅ; οἵτινες αἵτινες ἅ. Haec evolutio fortasse explicatur etiam ex tendentia evitandi confusionem cum articulo.

d) τίς et ὅς

167. Propositio relativa et interrogatio indirecta post verba dicendi, cognoscendi etc. valde affines sunt (1). Hinc fit, ut hellenistice τί

(1) Affinitas inter pronomen relativum et interrogativum apparet etiam ex eo quod *exclamatio admirativa*, quae classice pronomine relativo reddebatur, hellenistice et in NT interrogative exprimitur : e. g. πόσοι (loco ὅσοι) μίσθιοι « quot mercennarii ! » Lc 15, 17. Ideo Mt 6, 29 « considerate lilia agri πῶς αὐξάνουσιν », classice esset interrogatio (indirecta) : « ... quomodo crescant ». Secundum usum NT πῶς reddi *potest* exclamative : « ... quomodo crescunt ! »

loco pronominis relativi stare possit e. g. Mc 14, 36 « sed non quod ego volo sed quod tu » = ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ. Et vice versa Mt 6, 8 « scit enim pater vester, quid opus sit vobis » (interrog. indirecta) : οἶδεν γὰρ ὁ πατὴρ ὧν (loco τίνων) χρείαν ἔχετε.

168. Disputatur autem inter auctores utrum relativum etiam stare possit pro τίς in interrogatione directa. Ratio hoc asserendi sunt textus sicut Mc 9, 11. 28 ubi ὅτι (relativum indeterminatum ?) videtur stare pro τί = διὰ τί = cur. Discipuli Mc 9, 28 quaerunt : ὅ τι ἡμεῖς οὐκ ἐδυνήθημεν ἐκβαλεῖν αὐτό ; « quare nos non potuimus eicere eum ? ». Sunt tamen qui rem ut breviloquentiam explicent, ita ut illud ὅ τι stet pro τί (ἐστιν) ὅτι.

Huc spectat etiam difficile responsum a Iesu datum interrogantibus eum : « σὺ τίς εἶ ; dixit eis Iesus : τὴν ἀρχὴν ὅ τι (ὅ τι) καὶ λαλῶ ὑμῖν » Io 8, 25, quod hodie, sicut ab antiquis, plerumque redditur : « quid omnino loquor vobis ? » vel « d'abord, pour quoi donc (καί) est-ce che je vous parle ? » (Joüon) i. e. indigni estis, quibus respondeam. Qui ὅτι intellegunt relativum difficilius vertunt : « (sum) omnino id quod loquor vobis ».

169. Remanet tandem Mt 26, 50 : Iesus ad proditorem dicit : « amice, ad quid venisti ? ». Haec versio tam generaliter agnita praesupponit quaestionem nostram positive solutam scl. relativum posse stare etiam pro interrogativo directo. Graece enim legimus : ἑταῖρε, ἐφ' ὃ πάρει ; quae lectio certa est et iam ab antiquis versionibus fulcitur.

At qui non agnoscunt ὅς = τίς — et sunt plerique — dictum Domini elliptice debent explicare subintelligentes ποίησον vel τοῦτ' ἐστι vel alia.

Afferuntur quidem exempla textui nostro valde similia, at quaestionem non dirimunt, possunt enim in utramque opinionem adduci (¹). E. g. in scyphis symposiacis (primi, ut putant, saeculi p. C.) leguntur inscriptiones sicut εὐφραίνου ἐφ' ὃ πάρει, vel ἑταῖρε, ἐφ' ὃ πάρει, εὐφραίνου, quae et ipsae relative verti possunt, ab aliis autem interrogative sumuntur. Relative vertunt : « laete bibe, ad hoc (enim) ades », « amice, ad quod ades (id fac !) laete bibe » ; interrogative (Deissmann) : « amice, ad quid

---

(¹) Cf. Zorell, *V. D.* 9 (1929) 112-116 ; E. C. E. Owen, *Journal Theol. Studies* 29 (1927/8) 384-6 ; Deissmann, *Licht v. Osten*⁴, p. 100-105.

ades? laetare». — In apophtegmatibus Patrum (Migne *PG* 65, 105 C) Arsenius abbas dicitur ad fervorem se excitasse saepe adagio hoc: Ἀρσένιε, δι' ὃ ἐξῆλθες. Iterum sensus non liquet. Estne interrogatio an phrasis elliptica: meditare, recordare, exerce id ad quod (e mundo) existi! — In Actibus Martyrum Agathonica ad martyrium proditura, acclamantibus: «miserere filii» traditur respondisse deum eius curam habiturum esse, ἐγὼ δὲ ἐφ' ὃ πάρειμι, quod Harnack vertit «ad quid adsum», sed alius (E. C. Owen) «ego autem (debeo facere) ad quod adsum».

Exempla haec tempore et occasione tam disparata et tamen in eadem phrasi convenientia suadent quidem hanc phrasim fuisse colloquialem et sat frequentem, at quaestionem nostram in medio relinquunt.

VIII. AD VOCES VERBI

170. « Vox » verbi dicit relationem actionis ad subiectum eius et distinguitur in vocem activam, qua subiectum exhibetur simpliciter ut agens (vel existens), in vocem passivam, qua actio dicitur in subiecto recepta, in vocem mediam, qua subiectum exhibetur ut agens cum speciali aliqua relatione ad se ipsum. In initio evolutionis non erat nisi vox activa et media, in fine evolutionis non habemus nisi vocem activam et passivam, i. e. medium, ut forma distincta (et distincta est in solo aoristo et futuro), recedit et evanescit. Huius evolutionis generalis vestigia plurima inveniuntur in lingua hellenistica et in NT :

171. *a*) **verba activa** quae classice (ex ratione ignota) habebant in solo futuro formas medias, **futurum assimilant praesenti** : ἁμαρτήσω, ἁρπάσω, γελάσω, κλαύσω, κράξω etc. Ἀκούσομαι autem conservatur iuxta ἀκούσω et ζήσομαι iuxta ζήσω et quidem ita ut Lc in Actibus semper adhibeat formam mediam ἀκούσομαι (quater : 3, 22 ; 17, 32 ; 21, 22 ; 28, 28, excepta sola citatione ex LXX 28, 26), cum in Evangeliis numquam forma media occurrat, sed sola vox activa (Mt 12, 19 ; 13, 14 et Io 5, 25 ; 5, 28 ; 10, 16). Ioannes habet ζήσω quater, sed semel ζήσομαι 11, 25. Etiam Paulus, ubi ipse loquitur, habet ζήσω (R 6, 2 ; 2 C 13, 4 ; H 12, 9), cum in citationibus ex LXX retineat formam mediam (R 1, 17 = G 3, 11 = H 10, 38 ; R 10, 5 = G 3, 12) ; similiter Mt 4, 4 = Lc 4, 4. Praeterea ζήσομαι non nisi Mt 9, 18 ; Lc 10, 28.

172. *b*) **Verbum ποιέω,** quod classice cum nominibus combinari solet in forma media, in Evangeliis et Actibus saepissime **ponitur in forma activa,** ita ut perpaucae quae occurrunt exceptiones aliqualem mereantur attentionem. Praeter Io 14, 23 μονὴν ποιησόμεθα in Evangeliis medium invenitur apud solum Lucam et quidem bis tantummodo : δεήσεις ποιοῦνται 5, 33 et πορείαν ποιούμενος 13, 22. Tanto magis eminet in prooemio Actuum classicum illud τὸν μὲν πρῶτον ... λόγον ἐποιησάμην. In solis ultimis capitibus Actuum forma media paulo frequentius adhibetur : 20, 24 οὐδενὸς λόγου ποιοῦμαι τὴν ψυχήν (Pau-

lus ad maiores ecclesiae Ephesinae) ; 23, 13 οἱ τὴν συνωμοσίαν ποιησάμενοι (iidem in versu praecedente dicuntur ποιήσαντες συστροφήν) ; 25, 17 ἀναβολὴν μηδεμίαν ποιησάμενος (Festus ad regem Agrippam, cf. e contrario formulam analogam in ore Lucae historiographi, qui bis dicit χρόνον ποιήσας 15, 33 et 18, 23) ; 27, 18 ἐκβολὴν ἐποιοῦντο « iactum fecerunt » (terminus technicus navalis). Altera ex parte hoc medium neglegitur vel in ipsa illa constructione admodum classica et etiam in Actibus rara « eleemosynas facturus (ποιήσων) veni » A 24, 7 (ad hoc participium futuri vide **207**).

173. *c*) Sicut recedente voce media ex una parte subintrat vox activa, ita altera ex parte **forma passiva.** Frequentissimum exemplum in NT est aoristum ἀπεκρίθη (195^ies^) loco ἀπεκρίνατο. Haec forma media apud synopticos occurrit solum quater et quidem ita ut ter in locis non parallelis de Iesu dicatur οὐδὲν ἀπεκρίνατο. (Mt 27, 12 ; Mc 14, 61 ; Lc 23, 9). Accedit Lc 3, 16 ; Io 5, 17. 19 ; A 3, 12 nec usquam alibi in NT. Hi autem textus confirmare videntur quod MOULTON-MILLIGAN observant, formam mediam ἀποκρίνασθαι in lingua hellenistica indicium esse specialis sollemnitatis. — Ad formulam cf. **258.**

174. Propter hanc hellenisticam tendentiam ad formas passivas (in sensu activo vel mediali) cavendum est ne illae formae ut passivae premantur. E. g. si Paulus Thessalonicensibus (I, 1, 5) scribit οἴδατε οἷοι ἐ γ ε ν ή θ η μ ε ν ἐν ὑμῖν δι' ὑμᾶς Vg recte vertit « quales fuerimus » (non : facti simus, evaserimus), quamvis contextus invitet, ut illud passivum ἐγενήθημεν loco ἐγενόμεθα de actione divina intellegatur, quam Apostolus passus est (in eodem capite adhuc ter occurrit ἐγενήθη). Aliter e. g. 1 C 1, 30 « qui *factus est* nobis sapientia a Deo ».

175. Ex eadem ratione non nimis premenda est differentia inter ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν et ἀνέστη, quasi illud ἠγέρθη semper et necessario connotet actionem Patris : ἠγέρθη enim potest etiam habere sensum « surrexit » et recte ita a Vg redditur e. g. Mc 14, 28 ; 16, 6 ; Mt 27, 64 etc. Hinc fortasse ex parte explicatur mirum illud quod, cum passim occurrat substantivum ἀνάστασις νεκρῶν et ἀνάστασις Ἰησοῦ, in toto Epistolario ἀνίστασθαι de resurrectione Iesu inveniatur in solo 1 Th 4, 14 (septies in Evangeliis, bis in Actibus) contra 13 locos ubi Iesus dicitur ἐγερθῆναι. (Nota tamen plurimos locos ubi actio resuscitandi [τοῦ ἐγείρειν] Jesum explicite Patri adscribitur).

Etiam σταθείς et ἐστάθη saepe non habet aliam vim ac si legeremus στάς et ἔστη. Si Paulus loquitur σταθεὶς ἐν μέσῳ τοῦ Ἀρείου πάγου illa forma passiva non connotat ullum qui eum ibi posuerit (A 17, 22). Cf. etiam Mt 18, 16 (« verbum validum esto ») ; Lc 18, 11 ; A 5, 20 ; R 14, 4 ; C 4, 12.

176. *d*) Sed non obstantibus his vestigiis recedentis vocis mediae formae mediales etiam in NT amplum adhuc occupant campum et quidem in omnibus sensibus in quibus etiam apud classicos in usu sunt : **Medium « directum »**, i. e. in sensu reflexivo, habetur e. gr. in ἀπήγξατο (Iudas) « suspendit se » Mt 27, 5 ; ὗς λουσαμένη « sus qui se lavit » 2 P 2, 22 ; θερμαινόμενος « calefaciens se » Mc 14, 54 etc. Ad sensum causativum et permissivum cf. A 22, 16 βάπτισαι καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου « fac ut baptizeris et abluaris » ; ἀποκόψονται « se sinant abscindi (i. e. castrari ») G 5, 12.

177. Hellenistica utique ad maiorem claritatem tendentia efficit, ut saepe loco medii directi et indirecti adhibeatur activum cum pronomine (reflexivo vel personali), nisi pleonastice pronomen accedat vel ad ipsam formam mediam e. g. ἄλειψαί σου τὴν κεφαλήν Mt 6, 17 ; διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς Io 19, 24 (= LXX).

178. *e*) Etiam **usus « indirectus »** vocis mediae, quo subiectum indicatur agere ex se ipso, non rarus est in NT et in hoc usu cernitur hagiographos minime amisisse sensum ne pro subtilioribus quidem differentiis inter vocem activam et mediam ; e. g. R 3, 9 προέχεσθαι sive intelligitur : excellere *suis virtutibus* (hapax), sive in sensu praetendendi aliquid in *sui* protectionem vel excusationem ; A 9, 39 viduae lugentes benefactricem Tabitham describuntur ut ἐπιδεικνύμεναι Petro tunicas et vestes, ubi medium quasi describit, quomodo ostenderint vestes quibus actu indutae erant : in corpore suo ; A 12, 4 Herodes Petrum « ἔθετο : misit in carcerem . . . volens producere eum populo ». Illud medium ἔθετο videtur determinatum ab idea conservandi eum ad finem propositum.

Haec differentia inter medium et activum manifesta fit imprimis ubi idem verbum in eodem contextu utraque voce usurpatur. E. g. vix casui adscribendum est, si Mc 6, 23. 24 distinguit omnino classice αἰτέω (de rogatione simplici) et αἰτέομαι (= postulare quod ex contractu debetur). Herodes enim dicit filiae : αἴτησον et ὅτι ἐὰν αἰτήσῃ, puella autem matri dicit : τί αἰτήσωμαι; Etiam Iacobus 4, 2 s potius

deliberate videtur distinxisse has duas voces scribens : οὐκ ἔχετε διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς· αἰτεῖτε καὶ οὐ λαμβάνετε, διότι κακῶς αἰτεῖσθε. Cf. etiam 1 Io 5, 15 s.

Sunt tamen auctores qui in his casibus de usu arbitrario et incerto vocis mediae ex parte hagiographorum loquantur.

179. *f*) Tandem, sicut assolet fieri in periodo incipientis non-distinctionis, ut scl. etiam **casus** inveniantur **qui generali evolutioni sunt contrarii,** ita etiam in NT et generatim hellenistice verba occurrunt in forma media quae classice sunt activa e. g. περιβλέπεσθαι (Mc 9, 8 etc.) loco attici περιβλέπειν; ἀπεκδύεσθαι = « exuere » non sicut classice « exui » C 2, 15 ; φυλάττεσθαι Mc 10, 20 loco φυλάττειν etc.

IX. AD « TEMPORA »

1) « Genera actionis »

180. Consulto ponimus vocem « tempora » inter virgulas, significantes rem de qua hic agitur sat imperfecte nominari « tempora ». « Futurum » quidem et « praesens », n o m e n si respicis, tempus indicant. In reliquis autem « temporibus » iam ipsum nomen abstrahit a ratione temporis. « Imperfectum » exhibet actionem ut nondum perfectam, « perfectum » exhibet actionem ut peractam, « aoristum » (ἀ privativum et ὁρίζω definio = « indefinitum ») nihil definit de tali indole sed actionem exhibet simpliciter. Hinc iam nomina monent in « temporibus » probe distinguendum esse inter indolem actionis (« *aspect* » « *Aktionsart* »), quae (si excipis futurum et i n d i c a t i v u m praesentis) primario exprimitur, et rationem temporis quae saepe omnino deficit. Ita e. g. in aoristo solus indicativus (qui ideo solus augmento distinguitur !) necessario dicit etiam tempus (praeteritum). Omnes eius reliqui modi aut nullam habent connotationem temporalem, sed solam exhibent indolem actionis, aut (sicut participium et interdum infinitivus) connotant tempus r e l a t i v u m tantum scl. anterioritatem relate ad verbum principale. Indoles actionis in aoristo est « punctualis » in oppositione ad actionem quae exhibetur ut profluens, in fieri, durans, iterata (= praesens vel imperfectum), et in oppositione ad actionem quae exhibetur ut perfecta et in effectu suo perdurans usque in praesens (= perfectum).

Patet has distinctiones haud parum pertinere ad accuratam textuum interpretationem. Id quod liceat exemplis illustrare.

2) Aoristum

181. Distinctio inter actionem punctualem et continuam. Quam spontanee auctores NT graece scientes haec duo genera actionum distinguant, optime elucet ex textibus parallelis in oratione dominica : Mt 6, 11 habet : « panem nostrum cotidianum da nobis h o d i e », respicit igitur unam largitionem scl. hodiernam et ideo adhibet aori-

stum: δὸς ἡμῖν σήμερον. Lc autem 11, 3 prae oculis habet panem cotidianum largiendum «singulis diebus» (τὸ καθ' ἡμέραν) et ideo sponte sua adhibet praesens: ... δίδου ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν (1).

Alia exempla: apud Lc 8, 50 Dominus ad fiduciam exhortatur Iairum, qui modo nuntium mortis filiae accepit, dicens: μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευσον, apud Mc 5, 36 legimus: μὴ φοβοῦ μόνον πίστευε. Hunc imperativum praesentis (actio continua, continuanda) possumus vertere: tene fidem (quam hucusque habuisti). Imperativum aoristi autem apud Lucam debemus vertere: concipe fidem! novam fidem, fortiorem quam quae antea tibi erat filiâ nondum mortua. — «Καταμάθετε lilia agri» Mt 6, 28 est exhortatio hic et nunc considerandi lilia, fere «*ecce* lilia, considerate ea!». — Lc 11, 9 «αἰτεῖτε et dabitur vobis, ζητεῖτε et invenietis, κρούετε et aperietur vobis» non sufficienter redditur: «petite ... quaerite ... pulsate», nam, sicut ex contextu (de amico importuno) manifestum est, hic illa praesentia vertenda sunt: «petite perseveranter ... quaerite indefesse ... pulsate iterum atque iterum».

181a. Alibi utique similis imperativus praesentis potest significare actionem continuandam, vel generalem regulam iteratas in futuro actiones spectantem.

181b. Interdum autem in praesenti nihil quaerendum est. Quaedam enim verba iam ex natura sua actionem punctualem exprimentia tamen (vel ideo?) praesens videntur praeferre e. g. ἔγειρε (surge!), φέρε, ὕπαγε, πορεύου hoc ultimum vicies in evangeliis contra 5 aorista).

181c. Epistula prima Petri miram ostendit praedilectionem pro imperativo praesentis ubi aoristum exspectaveris: 1, 13. 15. 17. 22; 2, 2. 13. 17; 3, 10. 11. 14. 15; 4, 7; 5, 2. 5. 6. 8. 9 contra novem tantum aorista (Bigg). Neque vero ex hoc concludere licet Auctorem «tempora» non accurate distinguere, sed solum, eum suum modum habere considerandi iussiones illas.

---

(1) Contrarium videtur quod legimus Lc 9, 23. Ibi enim una cum Mt et Mc habet: «si quis vult post me venire ἀρνησάσθω ἑαυτὸν καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καὶ ἀκολουθείτω μοι. Illa aorista possumus intellegere de abnegatione sui et assumptione crucis, quae fiant semel definitive et pro semper. At Lc isque solus miro modo addit hic quoque καθ' ἡμέραν. Nota tamen hoc mirum additum esse admodum precarium, deest enim in codicibus plurimis et esset omnino singulare imprimis cum haec phrasis καθ' ἡμέραν apud Lc sit frequens idque semper, sicut natura rei postulat, cum praesenti.

182. Imprimis in prohibitione videtur valere lex: μή cum imperativo praesentis vetat continuationem actionis, μή cum coniunctivo aoristi vetat actionem futuram. Exempla sunt: μὴ φοβοῦ «desine timere» Lc 1, 13; 1, 30; 2, 10 et saepe, contra μὴ φοβηθῆτε αὐτούς Mt 10, 26 de futuris persecutoribus; in templo profanato: «μὴ ποιεῖτε (desinite facere) domum patris mei domum negotiationis» Io 2, 16; μὴ γράφε ad Pilatum Io 19, 21 est: noli sinere scriptum, dele quod scripsisti (¹).

183. In exegesi celebritatem quandam nacta est distinctio inter aoristum et praesens in interpretando dicto Domini ad Magdalenam «noli me tangere» Io 20, 17. Cur eum non tangat? Nonne loquens idem est Dominus, qui tactum mulieris paenitentis non tantum admisit sed laudavit (Lc 7, 38), qui tactum ungentis Mariae, sororis Lazari, remuneratus est praedicta sempiterna huius facti in toto orbe recordatione (Mc 14, 9)? Cur nunc fidelissimae Magdalenae amor pedes Domini ne tangat? Et etiam obscurior est ratio addita: «nondum enim ascendi ad Patrem meum». Distinctio generum actionis praeclaram affert solutionem, non enim legimus aoristum μή μου ἅψῃ, id quod vetaret tactum, sed praesens μή μου ἅπτου, quod vetat actionis iam durantis continuationem et verti potest: «Noli me tenere!». Quasi dicat Dominus: «Nunc sufficit, dimitte me, me revidebis, me rehabebis, nondum enim ascendi ad Patrem meum».

183ª. Nota tamen iterum non necessario et semper debere esse continuationem actionis iam existentis quae determinet praesens in prohibitione (et iussione). Imperativus praesentis potest etiam determinari ab idea (futurae) iterationis, durationis, ex eo quod agitur de generali regula. (cf. **189**).

(¹) Exceptiones, quas solent afferre, sunt Io 3, 7; Mt 1, 20; 1 Tim 4, 14. At agnosci potest tantummodo Io 3, 7 μὴ θαυμάσῃς dictum ad Nicodemum iam stupefactum (sed vide **189**). Mt 1, 20 optime intellegitur, dummodo accentus ponatur in παραλαβεῖν (quod est de futuro): angelus ad Ioseph anxium et haesitantem: μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαρίαν = sume absque dubitatione. Et si Paulus Timotheum admonet μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος «noli neglegere gratiam» 1 Tim 4, 14, non est cur hoc non de praesenti intellegatur, non aliter ac monitio «resuscitandi gratiam Dei» (ἀναζωπυρεῖν) 2 Tim 1, 6.

184. Sed, quod hucusque sola iussione et prohibitione illustravimus, de omnibus modis praesentis et aoristi verum est. En aliqua exempla:

A 15, 37 s Barnabas profecturus cum Paulo in alterum iter apostolicum non multum curans futura volebat συμπαραλαβεῖν (aor. actio simpliciter) τὸν ... Μᾶρκον. Paulus autem experientia prioris itineris edoctus recusat παραλαμβάνειν eum, nolens scl. in toto itinere secum habere (idea durationis determinat praesens!) socium qui inconstantem se praestiterat (MOULTON). — In institutione sacramenti poenitentiae (Io 20, 23) legimus «si quorum remiseritis (ἄν ... ἀφῆτε) peccata, remissa sunt, si quorum retinueritis (κρατῆτε) retenta sunt». Auctor sponte retentionem reddit praesenti quia retentio non, sicut remissio, novi quid infert, sed in eo consistit, quod condicio peccatoris immutata relinquitur et ideo perdurat. — Lc 6, 47. 49 distinguitur, ut videtur, alius et alius modus audiendi verbum Dei: ὁ ἀκούων est qui efficaciter audit, ita ut auditio duret, ὁ ἀκούσας dicitur ille cuius auditio est inefficax et momentanea. — Lc 18, 5 iudex iniquus tandem decernit viduae ius suum reddere «ne in novissimo veniens sugillet me (in faciem me percutiat)». Hoc ita verti et intellegi solet, ac si iudex timeat finalem (εἰς τέλος) aliquem actum desperatae violentiae, quod tamen supponeret aorista: ἵνα μὴ ... ἐλθοῦσα ὑπωπιάσῃ με; at legimus praesentia ἵνα μὴ ... ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με, quod potius vertendum videtur: «ne *pergat* venire et mihi molesta esse, εἰς τέλος usquedum finem suum assecuta est». Quanta differentia sensus et interpretationis verborum (ὑπωπιάζειν et εἰς τέλος) propter solam distinctionem «temporum»!

185. Aoristum ingressivum. Specialem attentionem meretur aoristum in verbis quae natura sua statum dicunt. In his enim aoristum (ut «ingressivum») plerumque significat statûs inceptionem, id quod haud parum mutat sensum: e. g., ut praecipua afferam quae in NT occurrunt: βασιλεύειν = regem esse, βασιλεῦσαι = regno potiri; δουλεύειν = servum esse, δουλεῦσαι = servum fieri; πιστεύειν = credentem esse, πιστεῦσαι = fidem amplecti; πλουτεῖν = divitem esse, πλουτῆσαι = divitem evadere (evasisse); πτωχεύειν = pauperem esse, πτωχεῦσαι = pauperem fieri; ἀποδημεῖν = peregrinum esse, ἀποδημῆσαι = peregre proficisci; κρατεῖν = tenere, κρατῆσαι = prehendere (cf. H 4, 14 contra 6, 18); ζῆν = vivere, ζῆσαι = in vitam ingredi (1 Th 5, 10) vel ex morte ad vitam reverti, reviviscere (Mc 5, 23); λάμπειν = lucere, λάμψαι = elucescere (Mt 5, 16).

186. Si simile quid admittimus pro verbo ἁμαρτάνειν, ita ut distinguamus ἁμαρτεῖν = peccatum (aliquod) committere ab ἁμαρτά-

νειν = peccatorem esse, in statu peccati permanere, accepta nobis accrescit solutio apparentis contradictionis inter 1 Io 2, 1 et 3, 9. In 3, 9 enim Ioannes videtur supponere Christifideles non posse peccare, 2, 1 autem eisdem scribit ne peccent. At hîc legimus γράφω ὑμῖν ἵνα μὴ ἁμάρτητε (aor. = ne peccatum committatis). Ibi autem (3, 9) scribit: « omnis qui natus est ex Deo... οὐ δύναται ἁμαρτάνειν (praes.!) quoniam ex Deo natus est » i. e. non potest continuare peccaminosam vitam quam usque ad suam ex Deo regenerationem duxerat. (Cf. R 6, 1 comparatum cum 6, 15).

187. Aoristum effectivum. Sicut apud verba quae statum significant attentio figitur in actionis initio, ita apud verba quae conatum significant, attentio potest dirigi in f i n e m actionis et in effectum secutum. E. g. ἐρωτῆσαι potest significare « cum successu rogare », item παρακαλέσαι (cf. Mc 5, 10 παρεκάλει cum 5, 12 παρεκάλεσαν); — A 28, 14 (Puteolis) « rogati sumus manere apud eos dies septem et sic venimus Romam » παρεκλήθημεν ... ἐπιμεῖναι fere verti potest: rogati permansimus; — κωλῦσαι potest significare « efficaciter impedire » A 27, 43, βαλεῖν « iaculando scopum attingere ». — Compara etiam Mt 27, 20 οἱ ἀρχιερεῖς ἔ π ε ι σ α ν τοὺς ὄχλους = « persuaserant turbis » cum A 13, 43 ubi effectus τοῦ πείθειν suspensus manet: Paulus et Barnabas ἔπειθον αὐτοὺς προσμένειν τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ. — Vel de desiderio non implendo Lc 15, 16 ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν αὐτοῦ ἐξ... « frustra languebat desiderio vel semel implendi ventrem suum de siliquis ».

188. Aoristum complexivum. Tandem cavendum est ne « punctualitas » actionis intellegatur in sensu momentaneitatis quasi necessario connotet brevitatem actionis. Potest enim, qui scribit, aoristo etiam longissimum spatium temporis complecti, dummodo illud consideret ut simplex factum historicum in se finitum et conclusum (« aoristum complexivum »). E. g. « quadraginta et sex annis οἰκοδομήθη templum hoc » Io 2, 20. — Paulus Corinthi « ἐκάθισεν (commoratus est) annum et sex menses » A 18, 11; hoc aoristum connotat hanc fuisse integram durationem, dein Paulum profectum esse. — A 11, 26: « ἐγένετο αὐτοῖς integrum annum conversari (συναχθῆναι) in ecclesia et docere (διδάξαι) ». — Similiter dicendum est de actione iterata quae et ipsa aoristo reddi potest, si scl. actiones iteratae a scriptore ut unum quid considerantur, e. g. « quinquies a Iudaeis quadragena una minus ἔλαβον... ter ἐραβδίσθην... » 2 C 11, 24 s.

189. Aoristum complexivum saepe adhibetur in p r o h i b i t i o n i b u s categoricis: μὴ μεριμνήσητε εἰς τὸν αὔριον Mt 6, 34 in oppositione ad μὴ μεριμνᾶτε 6, 25 quod aut vetat continuationem eius quod iam fit aut respicit generalis regulae multiplices applicationes (cf. **183**).

190. In p r e c i b u s iam classice praevalenter, in antiquis liturgiis fere semper (Moulton), adhibetur aoristum complexivum. Nil mirum igitur si in oratione dominica omnes rogationes aoristo exhibentur (excepta rogatione quarta in forma Lucana cf. **181**), neque necessarium est ad explicanda illa aorista recurrere ad sensum quemdam eschatologicum, sicut ex parte non catholica fieri solet.

191. Aoristum gnomicum, qui scl. classice adhibebatur in proverbiis et axiomatibus, in NT non videtur inveniri nisi vis cum aliquibus « gnomica » appellare quaedam aorista difficilis explicationis operiendo potius difficultatem quam solvendo eam. Cur e. g. dicitur ὡμοιώθη regnum caelorum homini ... » Mt 13, 24, et non sicut plerumque ὁμοία ἐστίν ... ? Cur 23, 2 habet « super cathedram Moysi s e d e r u n t scribae (ἐκάθισαν) ... » ubi sensus certe est « nunc sedent » ? — Multa aorista quae, interdum mixta cum praesentibus, in parabolis inveniuntur (e. g. Mt 13, 48 etc.) nil habent commune cum aoristo gnomico nisi quod fortasse illustrant eius probabilem originem. Sunt enim narrationes de praeterito et aoristum gnomicum fortasse inde ortum est, quod asseritur factum praeteritum ut inde discatur quid semper fiat vel fieri soleat. Hoc sensu intellegenda videntur aorista illa in Magnificat Lc 1, 51-53, sed v. **193.**

192. Usus prolepticus Aoristi. Nullam deberent facere difficultatem aorista quae post implicitam vel explicitam condicionem locum tenere videntur futuri, sicut Io 15, 6: « si quis in me non manserit ἐβλήθη ἔξω ... καὶ ἐξηράνθη » (Vg « mittetur foras et arescet »); vel 15, 8 « in hoc clarificatus est (ἐδοξάσθη) pater meus, ut fructum plurimum afferatis ». Habetur enim in huiusmodi casibus usus prolepticus aoristi, quatenus in vivacitate sermonis, qui loquitur, rem considerat iam ex tempore condicionis impletae. E. g. fructu allato pater revera iam clarificatus est. Similiter G 5, 4 « evacuati estis a Christo (κατηργήθητε ἀπὸ Χριστοῦ) qui in lege iustificamini, a gratia excidistis (τῆς χάριτος ἐξεπέσατε) ». Propositio relativa « qui in lege vultis iustificari » habet sensum condicionalem, et aorista quasi dramatice depingunt effectum iam ut secutum ad magis efferendam

imminentiam proximam et magnitudinem periculi in quo versantur, qui ita animo sunt dispositi (etiam 1 C 7, 28 ; Iac 2, 4; 1 P 3, 6 b). (Confer analogum usum prolepticum praesentis et perfecti loco futuri e. g. R 14, 23 « qui distinguit (cibos), si manducaverit, κέκριται » ; 1 Io 5, 10 b).

193. Influxus hebraicus suspicandus est in Magnificat Lc 1, 51 ss : « fecit potentiam . . . dispersit superbos ... deposuit potentes » etc. Perfectum enim hebraicum adhibetur etiam ad veritatem universalem exprimendam et a LXX in hymnis aoristo redditur (DEBR.[8] 333 A). Cf. canticum Hannae 1 Sam 2, 4. 5.

194. In eodem Magnificat habemus mirum illud aoristum ἠγαλλίασεν « exsultavit » in manifesto parallelismo cum praesenti « magnificat ». Est qui hoc aoristum explicet tamquam servilem versionem alicuius futuri inversi hebraici (forma *wayyiqtol*), quod quamvis soleat praeteritum significare, post participium cum sensu praesentis et ipsum vim praesentis assumere potest (JOÜON *Grammaire* § 118 *r*). Haec explicatio si vera est, signum esset praeiacentis alicuius originalis scripti eiusque hebraici.

195. Participium aoristi ex natura sua non significat tempus, sed vi usus potest significare tempus, at relativum tantum non absolutum, i. e. non dicit praeteritum sed prioritatem relate ad actionem verbi principalis (quae etiam esse potest de futuro : Mt 10, 39 ὁ εὑρὼν ἀπολέσει vel A 1, 8) e. g. ταῦτα εἰπὼν ἀπῆλθεν « postquam haec dixit abiit ». Cum participium aoristi plerumque hanc dicat prioritatem, explicite notandum est, illud posse etiam exprimere contemporaneitatem. Hoc autem imprimis fit, cum verbum in participio actionem dicit eandem, quam verbum principale (actio coincidens) e. g. in frequenti illo ἀποκριθεὶς εἶπεν; vel omnino univoce Mc 14, 39 : in Gethsemani « et iterum abiens oravit eundem sermonem dicens » προσεύξατο τὸν αὐτὸν λόγον εἰπών. Cf. etiam Lc 15, 23 φαγόντες εὐφρανθῶμεν = φάγωμεν καὶ εὐφρανθῶμεν.

196. Hinc interdum dubia esse potest accurata interpretatio e. g. A 18, 27 « Cum autem (Apollo) vellet ire in Achaiam exhortati fratres scripserunt discipulis ut susciperent eum » προτρεψάμενοι οἱ ἀδελφοὶ ἔγραψαν... Sensus potest esse : fratres exhortati sunt Apollinem (actio antecedens) et scripserunt discipulis . . . ; sed προτρεψάμενοι potest etiam coniungi cum ἔγραψαν et facere sensum :

« exhortantes scripserunt » seu « litteris exhortati sunt fratres » (actio coincidens).

196a. Simili modo interpretandum videtur participium ἀγαγόντα in H 2, 10: ἔπρεπεν γὰρ αὐτῷ (scl. Deo)... πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀ γ α γ ό ν τ α τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν διὰ παθημάτων τ ε λ ε ι ῶ σ α ι. Vg reddit sat obscure: « Decebat... eum... qui multos filios in gloriam adduxerat... per passionem consummare ». Sed ἀγαγόντα potest referri ad αὐτῷ (quamvis non sit in dativo, cf. **279**) et tamquam ptc c o ï n c i d e n s arcte coniungi cum τελειῶσαι « decuit Deum a d d u c e n d o multos in gloriam auctorem salutis per passionem c o n s u m m a r e ». Exspectaveris utique potius vice versa: « decuit Deum c o n s u m m a n d o auctorem salutis multos filios in gloriam a d d u c e r e ». Et hic revera potest sensus esse, dummodo ratio habeatur proprietatis cuiusdam stilisticae in alta prosa graeca haud rarae (et sumus in epistula ad Hebraeos!), qua scl. quod deberet esse ptc modale evadit verbum principale, et vice versa quod deberet esse verbum principale subordinatur tamquam ptc modale. Cf. cum multis exemplis KÜHNER GERTH *Grammatik d. griech. Sprache* 2, 98. In nostro casu igitur sensus esset: « decuit (Deum) multos filios in gloriam a d d u c e r e e o q u o d auctorem salutis eorum per passiones consummavit » (1). Cf. etiam H 6, 13 et, ni fallor, 1 T 1, 12. Simile phaenomenon vide etiam sub **265c**.

197. C o n t r o v e r t i t u r inter auctores utrum possit part. aoristi adhiberi etiam ad exprimendam p o s t e r i o r i t a t e m necne (2). Crux autem quae in NT ansam praebet huic controversiae est A 25, 13: Ἀγρίππα... καὶ Βερνίκη κατήντησαν εἰς Καισάρειαν ἀ σ π α σ ά μ ε ν ο ι τὸν Φῆστον (manifesta emendatio legit, id quod omnino exspectaveris, scl. futurum: ἀσπασόμενοι). Possumusne cum Vg vertere: « descenderunt ad s a l u t a n d u m Festum » seu « salutaturi Festum »? Generatim auctores respondent negative (3) et aut non agnoscunt lectionem nostram aut (non sine violentia)

(1) Rem hoc sensu exposuit HELMUT KRÄMER in *Wort u. Dienst*, 1952, p. 102-107.

(2) Bibliographiam de hac controversia vide apud DEBRUNNER in nota ad § 339.

(3) Idque non obstantibus casibus parallelis ex libris Machabaeorum, apocryphis et papyris cf. *Journal Theol. St.* 24 (1923) 183-186 et 403-406, at contra ibidem 25 (1924) 286-89.

conantur interpretari aoristum ut simultaneum considerantes adventum et salutationem quasi ut actionem unam quae esset « visitatio (adventus) salutatoria » (actio coincidens).

198. At etsi ἀσπασάμενοι non ut aequivalens futuro (classico) seu pro scopo sumi potest (= ἀσπασόμενοι), fortasse potest intellegi de actione simpliciter subsequente (loco καί cum verbo coordinato: κατήντησαν καὶ ἠσπάσαντο). Haud paucos afferunt ex Actibus casus « analogos » [1], at nullus eorum est certus et constringens, omnes videntur explicari posse ut actiones sive coincidentes sive antecedentes [2]. — Alicuius momenti pro itinerario S. Pauli esset A

---

[1] Huc spectare dicuntur praeter casum nostrum etiam 16, 6; 16, 23; 17, 26; 21, 14; 22, 24; 23, 35; 24, 22 s. (contra cf. A. Robertson, *Grammar*, 861-64). Adderem Lc 9, 22, si εἰπών ibi recte vertitur « addens » « ajoutant » (Joüon).

[2] Hoc concedendum est de omnibus locis hucusque allatis et ratio principalis, cur « sensus subsequens » participii aoristi fere universaliter reicitur est haec ipsa: nullum exemplum certum hucusque propositum est nec ex NT nec aliunde, immo participium aoristi non potest admitti cum sensu subsequente « if all the rules of grammar and all sure understanding of language are not to be given up » (Schmiedel, cui assentiuntur laudantes eum Moulton et Robertson). Attamen unum casum mihi videor invenisse qui omnino certus est, quia agitur de relatione, cuius sensus, si non in se iam univoce pateret, extra omnem dubitationem poneretur a narratione homerica, ad quam auctor se refert. In Fl. Philostrato, *Vita Apollonii* 1, 22 (apud Conybeare, p. 64) legimus: οἱ δὲ δὴ στρουθοὶ . . . οἱ παρὰ τῷ Ὁμήρῳ τί φήσουσιν, οὓς ὁ δράκων μὲν . . . ἐδαίσατο ὀκτὼ ὄντας, ἐννάτην ἐπ' αὐτοῖς τὴν μητέρα ἑλών « passeres autem apud Homerum quid significabunt, quos draco devoravit numero octo, nonam insuper (ἐπ' αὐτούς) matrem prehendens ». Hîc profecto nemo loquetur de actione coincidente, ubi de successivis victimis agitur et mater tamquem nona octo pullis adiungitur. Quo autem umquam artificio aliquis sensum antecedentem eruere voluerit, difficile est intellectu. Nec operae pretium est talem conatum facere, nam si cui eventuum successio in textu nostro non satis evidens esset, apud Homerum posterioritas etiam magis, si fieri potest, explicita est: *Il.* 2, 305 ss narratur quomodo Achivis in Aulide sacrificia facientibus draco horribilis ex altari imo prolapsus ad platanum ruerit. « Ibi erant passeris pulli nati . . . octo, verum mater nona erat . . . Ibi ille hos miserabiliter voravit stridentes; mater vero circumvolabat lugens caros natos . . . verum postquam natos devoraverat passeres et ipsam »: αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ τέκν'

16, 6: Διῆλθον δὲ τὴν Φρυγίαν καὶ Γαλατικὴν χώραν κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος λαλῆσαι τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ. ἐλθόντες δὲ κατὰ τὴν Μυσίαν... Quando impediti sunt, ne verbum Dei in Asia (Ephesi) praedicarent? Numquid peragratâ iam regione Phrygia-Galatica (ita Ramsay, qui eam intellegit Lystram, Iconium, Antiochiam)? Si hoc, supponendus esset sensus subsequens participii κωλυθέντες (= ἐκωλύθησαν δέ). At fere communiter κωλυθέντες intellegitur de actione antecedente: quia in bivio Antiocheno impediti sunt a spiritu ne Ephesum peterent, ideo peragrarunt Phrygiam et regionem Galaticam, quae igitur septentrionalis regio intellegenda est.

199. Apparenter tantum huc spectat Io 11, 2, ubi sermo est de Lazaro resuscitando et soror eius Maria ab Evangelista introducitur tamquam ἡ ἀλείψασα τὸν Κύριον μύρῳ καὶ ἐκμάξασα τοὺς πόδας αὐτοῦ ταῖς θριξὶν αὐτῆς. Hic potuerit quis argumentari ita: aut Io respicit, quae postea eventura erant, narranda scl. in 12, 3 ss, et sic ἀλείψασα diceretur de actione subsequente «quae unctura erat», aut Io respicit unctionem praeteritam «= quae unxerat» scl. Lc 7, 38. 46 et sic Maria, soror Lazari, identificaretur cum illa peccatrice (Magdalena?) ([1]). At speciosum hoc dilemma facili negotio dissolvitur addito tertio membro: aut ἀλείψασα respicit unctionem Bethaniae factam eamque ut praeteritam non relate ad tempus narrationis de Lazaro resuscitando (Io 11), sed relate ad tempus quo Ioannes s c r i b i t. Ioannes igitur parenthetice hanc explicationem addit monens lectores suos hic sermonem esse de Maria illa, quae unxit Iesum et quae secundum ipsius Domini praedictionem apud omnes nota est ut unctrix Domini morituri (Mc 14, 9; Mt 26, 13).

Eodem modo explicatur participium aoristi, ubi Mt 10, 4 Iudas dicitur ὁ καὶ παραδοὺς αὐτόν «qui et tradidit eum», ex tempore scribentis et legentium, non «qui traditurus erat eum» ex tempore ipsius narrationis. Item A 1, 16 Ἰούδας ὁ γενόμενος ὁδηγὸς τοῖς συλλαβοῦσιν τὸν Ἰησοῦν non «comprehensuris», sed recte cum Vg «qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum». Aliter autem A 1, 8 «accipietis virtutem ἐπελθόντος

ἔφαγεν στρουθοῖο καὶ αὐτήν (317 et cf. 326 s). — At est qui obiecerit: tota haec expositio ruit, si quis in textu Philostrati subintellegit verbum principale: ἐννάτην (scl. ἐδαίσατο. . .) τὴν μητέρα ἑλών.

([1]) Cf. ad hanc quaestionem U. Holzmeister in V. D. 16 (1936) 196 s.

τοῦ ἁγίου πνεύματος », ubi evidenter agitur de superventuro spiritu. Habetur autem part. aoristi quia agitur de actione antecedente, id quod in alia constructione nullam omnino moveret admirationem, e. g. si Dominus diceret τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐπελθὼν ἐφ' ὑμᾶς δώσει ὑμῖν . . .

199a. Post **verba percipiendi** exspectaveris quidem participium praesentis e. g. ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας « video velut arbores ambulantes » Mc 8, 24, vel etiam part. perfecti (quod effectum connotat ut praesentem) e. g. Mc 9, 1 « . . . non gustabunt mortem ἕως ἂν ἴδωσιν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐληλυθυῖαν ; vel Lc 8, 46 : ἔγνων δύναμιν ἐξεληλυθυῖαν ἀπ' ἐμοῦ. E contra, si cum talibus verbis percipiendi iunguntur participia aoristi, potius dicendum videtur tempus participii sequi tempus quod verbum haberet in propositione cum ὅτι declarativo e. g. in loco parallelo ad Lc 8, 46 modo citatum : Mc 5, 30 Ἰησοῦς ἐπιγνοὺς τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν . . . « cognoscens virtutem quae exierat ab illo ». Vel A 9, 12 καὶ εἶδεν . . . Ανανίαν . . . εἰσελθόντα καὶ ἐπιθέντα αὐτῷ χεῖρας.

199b. Eloquens tandem evadit electio temporum in Lc 10, 18 : ἐθεώρουν τὸν σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα. Ita Dominus respondet discipulis reversis ex missione sua et dicentibus « etiam daemonia subiciuntur nobis ». Hoc confirmans Dominus asserit ἐθεώρουν videbam i. e. iteratim, scl. : quotiescumque daemonium a discipulis eiciebatur, videbat satanam cadentem. Sed quomodo in repetitis illis exorcismis videre poterat satanam sicut fulgur πεσόντα id quod potius de unica illa praecipitatione Luciferi admonet ? Videtur respondendum : in illis exorcismis, cladibus satanae partialibus, Dominus vidit, tamquam inchoatam, et quasi iam anticipatam ruinam satanae definitivam et complexivam. Ne quis cogitet de sola praecipitatione praehistorica Luciferi, vetatur imperfecto ἐθεώρουν, ne intellegantur soli illi exorcismi discipulorum, ut eventus particulares in se, vetatur participio πεσόντα (et addita indole fulminea praecipitationis). Solutio est in « theoria » qua pluralitas eventuum interne connexorum cernitur ut unum : una est clades satanae inde a praecipitatione Luciferi per totam historiam salutis usque ad plenitudinem victoriae in iudicio ultimo.

3) Imperfectum

200. Imperfectum describit, innuit actionis iterationem, durationem, vel etiam (irritum) conatum.

201. Interdum sola **distinctio** inter aoristum et imperfectum innuere potest, qualis animo fingenda sit accuratior rerum condicio in narratione evangelica saepe nimis parca. Ita multiplicatio panum apud Mc 6, 41 (= Lc 9, 16) describitur duobus aoristis et uno imperfecto: «. . . benedixit (εὐλόγησεν) et fregit panes (κατέκλασεν) et dedit (ἐδίδου = dabat, *man mano li dava* [VACCARI]) discipulis suis, ut ponerent ante eos». Benedictio et fractio panum aoristis exhibentur ut actiones «punctuales», non ita traditio panum, ita ut fortasse cum aliqua probabilitate concludere liceat hagiographum innuere multiplicationem factam esse in manibus Domini distribuentis discipulis iterum et iterum ad ipsum redeuntibus. In omni casu auctor non frustra transit ab aoristis ad imperfectum, etiamsi nos non semper univoce possumus indicare rationem.

202. Sunt autem **quaedam verba,** quae ex natura sua tendant ad hoc, ut in imperfecto ponantur e. g. (ἐπ-)ερωτᾶν (inter)rogare, παρακαλεῖν exhortari et similia. Hae enim actiones, utut in se ipsis completae, natura sua exigunt, ut eis aliâ actione respondeatur, et eatenus considerantur ut aliquo modo incompletae seu «imperfectae». Quapropter apud huiusmodi verba non nimis immorandum est in explicando imperfecto. Illa autem «imperfectio» actionis etiam maior est, si actio completiva deficit (cf. **187**).

203. In hoc ultimo casu imperfectum affine evadit imperfecto de conatu. E. g. in narratione de daemoniaco Geraseno daemon «deprecabatur (παρεκάλει), ne se expelleret» Mc 5, 10. Rogatio vana est, ideo imperfectum. Altera autem rogatio successum habet, id quod iam aoristo verbi aliquo modo praenuntiatur: καὶ παρεκάλεσαν αὐτὸν (Vg neglegit distinctionem et habet iterum «deprecabantur») dicentes: «mitte nos in porcos . . .» 5, 12.

203ª. Sunt qui loquantur (nescio an feliciter) de imperfecto **inceptivo,** ubi scl. actio consideratur aut: *a*) ut incipiens et non prosequens (imperfectum de conatu), aut *b*) ut incipiens et durans alia actione incidente, aut *c*) ut incipiens, ita tamen ut de fine non cogitetur.

Ad *a*) e. g. διεκώλυεν Mt 3, 14: Joannes Baptista volebat Jesum prohibere a baptismo, sed dein cessit; ἐδίδουν Mc 15, 23: offerebant ei vinum «et non accepit»; Lc 8, 42: (filia Iairi) ἀπέθνησκεν: moribunda erat; Lc 1, 59 ἐκάλουν eum . . . Zachariam: volebant eum vocare Zachariam; Lc 5, 6 διερρήσσετο τὰ δίκτυα: retia in eo erant ut rumperentur. — Ad *b*) A 18, 18 «Paulus . . . navigavit (ἐξέπλει) in Syriam et (in decursu

huius itineris) devenit (κατήντησεν) Ephesum » cf. 18, 5 ; 21, 5. 15 ; 22, 5 etc. — Ad *c*) imprimis ubi introducitur sermo longior e. g. sermo montanus : Mt 5, 2 ἐδίδασκεν αὐτοὺς λέγων vel apologia Pauli coram Agrippa A. 26, 1 « tunc Paulus, extenta manu ἀπελογεῖτο » quod Vg optime vertit : « *coepit* rationem reddere ». Huc pertinet etiam imperfectum apud Marcum sat frequens quod J. Stein appellat « *of result* » e. g. Mc 7, 35 « . . . et statim . . . solutum est vinculum linguae eius et loquebatur (ἐλάλει) recte » ; Mc 5, 13 duo milia porci praecipitati sunt in mare καὶ ἐπνίγοντο ἐν τῇ θαλάσσῃ ; Mc 5, 42 filia Iairi : « et confestim surrexit puella καὶ περιεπάτει ».

204. Cum imperfectum careat reliquis modis, pro his **subintrat praesens,** retinens sensum conatûs : e. g. « et impleverunt ambas naviculas ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά » quod Vg necessario vertit « ita ut paene mergerentur » Lc 5, 7 ; vel ὁ καταλύων τὸν ναὸν καὶ . . . οἰκοδομῶν « qui voluisti destruere templum et reaedificare » Mt 27, 40. — Vel sensu durationis e. g. Io 9, 25 « unum scio, quia caecus cum essem nunc video » : τυφλὸς ὢν ἄρτι βλέπω. Ideo etiam Io 3, 13 (l. v.) ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ potest reddi non solum « qui in caelo *est* » sed etiam « qui in caelo *erat* » (cf. **264**). — Ita etiam iteratio exprimitur participio praesentis e. g. ὁ κλέπτων μηκέτι κλεπτέτω « qui solebat furari non iam furetur » E 4, 28 ; item Io 9, 8 οἱ θεωροῦντες αὐτὸν τὸ πρότερον « qui soliti erant (**214**) videre eum (caecum) ; Mt 23, 35 « omnis sanguis ἐκχυννόμενον quod (decursu temporis) effundebatur » ; A 26, 10 ἀναιρουμένων αὐτῶν « cum occiderentur » (Christiani) i. e. « cum ageretur de eis morte plectendis, detuli sententiam » dicit Paulus coram Agrippa.

205. Actio per infinitivum vel participium praesentis exhibetur ut imperfecta imprimis, ubi postea narratur quid durante illa actione evenerit. Ideo legimus Mc 6, 45 « et statim coegit discipulos suos ἐμβῆναι (aoristum) εἰς τὸ πλοῖον καὶ προάγειν (praesens) », quia sequitur quid durante illo προάγειν acciderit. Et si Lc 2, 41 s habet καὶ ἀναβαινόντων αὐτῶν . . . καὶ τελειωσάντων τὰς ἡμέρας ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτοὺς ὑπέμεινεν Ἰησοῦς ὁ παῖς ἐν Ἱερουσαλήμ, aoristum τελειωσάντων indicat actionem finitam, infinitivus praesentis (ἐν τῷ ὑποστρέφειν) actionem durantem intra quam Jesus remansit et a parentibus quaerebatur. Sed idem dicendum est etiam de participio praesentis ἀναβαινόντων αὐτῶν. Unde cum certitudine discimus ἀναβαίνειν hic non esse tantummodo « ascendere » — ascensus enim finitus erat, cum Jesus remaneret in templo, et ideo deberet dici sicut τελειωσάντων ita a fortiori ἀναβάντων

αὐτῶν — sed adhiberi ut terminum technicum de tota peregrinatione hierosolymitana amplectente ascensum et descensum. Et in hoc sensu recte habetur participium praesentis indicans actionem durantem, intra quam reliqua narrata acciderunt.

4) Futurum

206. Saepissime stat **praesens loco futuri** idque, ut videtur, sub influxu idiomatis aramaici quod amat adhibere participium (praesens) imprimis pro futuro proximo e. g. ἔρχομαι Mt 24, 23. 24 ; Lc 12, 40 ; Io 4. 35 ; 14, 13. 28 ; ἐγείρομαι Mt 27, 63 ; εἰσπορεύομαι Lc 22, 10 etc. Quodsi hoc speciali cum frequentia accidit cum εἶναι (Mt 10, 20 ; Io 7, 34 ; 8, 31 etc.) et ἔχειν (Mt 6, 1 ; 26, 11 ; Mc 3, 29 ; 14, 7; Io 12, 48 ; 13, 8 etc.) ratio in eo est, quod εἶναι et ἔχειν aramaice non verbaliter redduntur sed per « adverbium existentiae » *'ît* quod atemporale est, sed plerumque pro praesenti stat : *'ît li* existentia mihi = est mihi = habeo ; *lait li* = non est mihi, non habeo. — Hac possibili explicatione praesentis loco futuri tamen non excluditur illa pulchra interpretatio qua dicunt e. g. in Mt 5, 46 (6, 1) stare μισθὸν ἔχετε (praesens) loco futuri, quia ἔχειν μισθόν dicuntur ii quibus praemium reservatur a Deo seu quos manet divinum praemium (GRIMM).

206a. Usus **indicativi futuri** in NT triplici modo subit **influxum semiticum** et quidem : *a*) interdum **modaliter** adhibetur sicut futurum semiticum quod saepe connotat aliquod *posse*, e. g. Mt 7, 4 πῶς ἐρεῖς (dices) τῷ ἀδελφῷ σου, quod Lucas 6, 42 reddit πῶς δύνασαι λέγειν τ. ἀ. σ. — Similiter Mt 5, 43 καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου ubi futurum connotare potest liceitatem, ideo JOÜON vertit « Tu aimeras ton proche mais tu pourras ne pas aimer ton ennemi ».

206b. Multo frequentius, fere semper in lingua legali VT[1], futurum adhibetur cum vi **imperativi categorici** sicut in loco modo citato : ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου vel Mt 5, 21 οὐ φονεύσεις « non occides » ; cf. v. 27. 33 ; vel etiam Mt 21, 13 « domus mea domus orationis vocabitur », ubi κληθήσεται (secundum usum hebraicum huius verbi) fere aequivalet « erit », imperative : « esto et agnoscitor ». — Interdum idem habetur etiam extra citationes VT e. g. si angelus dicit Mariae : « ecce concipies . . . et paries filium et *vocabis* nomen eius Jesum » Lc 1, 31, illud vocabis fortasse non tam prophetice dicitur quam imperative

(cf. 1,1 3). Mt 21, 3 « si quis dixerit ..., ἐρεῖτε (= dicite) ». — Imprimis futurum ἔσται adhibetur in sensu imperativi « esto » e. g. Mc 9, 35 « si quis vult primus esse, erit (ἔσται) ... omnium minister » (cf. Mt 23, 11).

206c. Tandem tertius quidam usus futuri determinatur ab influxu semitico : interdum in textu semitizante difficile aliquod futurum **neglegi potest** et reddi praesente vel imperfecto, supponendo futurum reddere serviliter aliquod imperfectum hebraicum. Hoc enim saepe quidem adhibetur in sensu futuri, at per se est atemporale, exprimit solum actionem ut non perfectam et ita potest se referre ad praesens non minus quam ad praeteritum vel futurum. Ideo Apc 4, 9. 10 καὶ ὅταν δώσουσιν τὰ ζῷα δόξαν ... πεσοῦνται οἱ ... πρεσβύτεροι ... καὶ προσκυνήσουσιν ... καὶ βαλοῦσιν ... a Vg recte videtur verti : « et cum *darent* animalia gloriam, *procidebant* ... seniores ... et *adorabant* ... et *mittebant* coronas suas ». Eodem iure illa quattuor futura etiam praesenti reddi possent, si scl. Ioannes intellegitur describere normam illius cultus caelestis, qui saepius repetitur, cf. 5, 8 s ; 11, 16 s; 19, 41 (Bonaccorsi).

207. Imprimis **participium futuri valde recedit.** Fere solius Lucae eiusque in Actibus est interdum classice exhibere finem motus participio futuri e. g. ἀνέβην προσκυνήσων « ascendi adorare in Ierusalem » 24, 11 (cf. 8, 27 ; 22, 5; 24, 17). Etiam secus (i. e. non de scopo) participium futuri rarissime invenitur e. g. iterum in Actibus 20, 22 « vado in Ierusalem, quae in ea ventura sint mihi (τὰ συναντήσοντά μοι) ignorans ». Neuter usus in Evangeliis invenitur, vel saltem non sine lectione variante (cf. Mt 27, 49 ; Lc 22, 49, Io 6, 64). In epistolario vide : R 8, 34 ; 1 P 3, 15 ; 2 P 2, 13 (l. v.).

208. Pro participio futuri subintrat (non aliter ac in hebraico et aramaico) participium praesentis, e. g. Mt 26, 25 Ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν εἶπεν = « Iudas qui traditurus eum erat » ; Mt 25, 14 « homo quidam ἀποδημῶν » = profecturus, vel potius peregre commoraturus. Io 17, 20 Dominus in oratione sacerdotali dicit : « non pro his rogo tantum, sed et περὶ τῶν πιστευόντων (praes.) pro eis qui credituri sunt ». Ideo vanum est si quis voluerit ex hoc participio praesentis (loco futuri) argumentari, hic non Iesum loqui sed Ioannem. Vel Lc 2, 34 verba Simeonis : « ecce positus est hic ... in signum cui contradicetur », graece : εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον. Cf. etiam Lc 1, 35 τὸ γεννώμενον « quod nascetur » ; Lc 14, 31 ; A 21, 2.3 ; 26, 17.

Hoc prae oculis habendum est in diiudicandis verbis consecrationis Lc 22, 19. 20: τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον («quod pro vobis datur»)... τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον («qui pro vobis effundetur»). Argumentum enim theologicum pro indole sacrificali ultimae cenae, quod fieret ex solis participiis praesentis, quasi futura deberent stare, si Dominus sacrificium crucis spectasset, propter supra dicta admodum precarium esset.

208a. Quaestio oriri potuerit si non participium praesens interdum subintret pro illo classico participio futuri quo scopus alicuius motus indicatur. In tali casu part. praesentis acquireret et ipsum sensum finalem. Mt 20, 20 legimus: τότε προσῆλθεν αὐτῷ ἡ μήτηρ... προσκυνοῦσα καὶ αἰτοῦσά τι παρ' αὐτοῦ; hic αἰτοῦσά τι vix potest aliud significare quam «rogatura aliquid» seu «ut rogaret», nisi dixeris αἰτοῦσά τι hic idem esse ac «dicens se velle aliquid rogare». In omni casu contextus sequens ostendit eam nondum rogavisse. — Vel Mt 22, 16 «et (pharisaei) mittunt ei discipulos λέγοντας (l. v.)» quod esset: «qui dicant, dicturos». Cf. etiam Lc 2, 45; 14, 21; 15, 27; 18, 23; 17, 13; 19, 18; 21, 16; 2 P 2, 9.

5) Perfectum

209. Perfectum graecum designat actionem praeteritam non tantum ut terminatam sed insuper tamquam in effectu suo durantem usque in praesens, et ideo nihil est in linguis nostris modernis, quod accurate respondeat perfecto graeco. Eo magis illa ratio effectus perdurantis a nobis subaudienda est. E. g. Mc 6, 14 Herodes audiens de miraculis Iesu dixit ὅτι Ἰωάννης... ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν. Cur sponte adhibeatur perfectum, manifestum est ex eo quod sequitur: «et propterea virtutes operantur in eo» (effectus in praesentia). Statim postea v. 16 eadem opinio Herodis repetitur sine hac speciali conotatione, ideo dicitur: «quem decollavi Ioannem, οὗτος ἠγέρθη».

210. Pro dignitate argumenti perfecto interdum magna vis inest, quae a diligente interprete non neglegetur. Si Iudaei dicunt «οἴδαμεν ὅτι Μωυσεῖ λελάληκεν ὁ θεός, hunc autem nescimus unde sit» Io 9, 29, in illo perfecto λελάληκεν tota fiducia exprimitur in immutabilitate verbi divini: Deus locutus est, habemus igitur ubi firmiter stemus. — Altera ex parte Dominus ipse de eadem legislativa Dei locutione sermonem faciens ab hagiographo introducitur aoristice

dicens: ἠκούσατε ὅτι ἐ ρ ρ έ θ η τοῖς ἀρχαίοις... quasi iam his aoristis innuens illa decreta divina iamiam considerari ut factum historicum relativae tantum durationis et destinata ad hoc ut perfectiori legislationi locum dent. Sequitur enim: ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν... Mt 5, 21 s.

211. In C 1, 16. 17 S. Paulus universalem Christi primatum statuens rationem eius reddit scribens ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα (fundamentale factum historicum). Christus autem non est causa efficiens tantum (δι' αὐτοῦ), sed etiam causa finalis (εἰς αὐτόν) et ut talis magis etiam praesens spectat (et futurum). Ideo Paulus hic perfectum adhibet: πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔ κ τ ι σ τ α ι ; deinde concludens prosequitur: καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ σ υ ν έ σ τ η κ ε ν « omnia in ipso constant ». Oportet s e n t i r e quid hoc sibi velit, « constare in ipso », nos scl. et omnia in Christo subsistentiam habere, internam cohaesionem, intimam inter nos et ad universum relationem. — Quid Paulo resurrectio Christi sit, scl. id quo novus, i. e. noster αἰών initium sumpsit semel pro semper, optime illustratur usu perfecti inter tria aorista 1 C 15, 3: « tradidi enim vobis..., quoniam Christus mortuus est (ἀπέθανεν) pro peccatis nostris... et quia sepultus est (ἐτάφη) et quia resurrexit (ἐ γ ή γ ε ρ τ α ι) tertia die... et quia visus est (ὤφθη) Cephae... ».

212. Notandum tamen est a solo **arbitrio auctoris** vel potius ab eius actuali dispositione mentis dependere, utrum effectum perdurantem actionis connotet necne, seu utrum perfectum adhibeat an aoristum. Sed si perfecto utitur, in lingua NT necessario ostendit se de effectu perdurante cogitasse.

213. Hoc ultimum utique a quibusdam in dubium vocatur. Perfectum enim in graecitate posteriorum saeculorum specificam suam vim amittit et evadit **simplex tempus narrationis,** quasi aoristum [1]. Hinc orta est quaestio, sintne fortasse iam in NT vestigia illius tar-

---

[1] Hac non-distinctione perfecti et aoristi tandem efficitur ut perfectum tamquam f o r m a d i s t i n c t a in graecitate moderna non iam sit. Attamen solae f o r m a e antiquae perfecti exstinctae sunt, g e n u s a c t i o n i s remanet et in graecitate moderna forsan etiam fortius formis c o m p o s i t i s exprimitur: ἔχω δεμένο « ligavi », εἶμαι δεμένο « ligatus sum ».

dioris usus aoristici formarum perfecti. Huic quaestioni a plerisque negative respondetur. Nam exempla quae afferuntur omnia fere alias admittunt explicationes: πέπρακα aoristice adhibetur, quia πιπράσκω aoristo activo caret; ἔσχηκα stat pro «habui» Mc 5, 15, quia aoristum ἔσχον significat «accepi»» [1]; γέγονα aut vere habet sensum perfecti aut aequivalet εἰμί [2]; εἴληφα et εἴρηκα, in sola Apocalypsi 5, 7; 8, 5; 7, 14; 19, 3, sunt illae ipsae formae quae solae aoristice occurrunt etiam in papyris contemporaneis, id quod valde suadet has formas utpote carentes visibili reduplicatione, vulgariter consideratas fuisse aorista.

6) Plusquamperfectum

214. Plusquamperfectum in lingua NT, sicut classice, adhibetur tantummodo ubi connotatur duratio actionis in effectu suo (usque ad tempus illud praeteritum, de quo narratio fit) e. g. «(parentes caeci nati) timebant Iudaeos, iam enim conspiraverant (συνετέθειντο) Iudaei» expulsionem Io 9, 22. Hic plusquamperfectum stat, quia consilium captum et decretum in v i g o r e e r a t et auctor, rem ita considerat et exprimere vult. Non sufficit igitur in Graeco ad ponendum plusquamperfectum illa frequentissima anterioritas in praeterito, quae in Latino et in linguis nostris occidentalibus fere necessario exprimenda est plusquamperfecto. Ideo saepe accidit, ut simplex imperfectum vel aoristum graecum a nobis plusquamperfecto reddendum sit; e. g. Mc 5, 8 daemoniacus clamat «ne me torqueas, ἔ λ ε γ ε ν γὰρ αὐτῷ Ἰησοῦς· ἔξελθε...» quod reddendum est «d i x e r a t enim illi». Hinc l i n g u i s t i c e non est quod obiciatur si quis voluerit effugere apparentem difficultatem illius «et parentes Iesu οὐ σ υ ν ῆ κ α ν τὸ ῥῆμα ὃ ἐ λ ά λ η σ ε ν αὐτοῖς Lc 2, 50 vertendo «non i n t e l l e x e r a n t verbum quod l o c u t u s e r a t eis (scl. antequam profecti sunt ab Ierusalem).

214a. Sicut imperfectum loco latini plusquamperfecti stare potest, ita etiam participium praesentis, si imperfectum reddit (**204**), e. g. Mt 14, 21; 15, 38 οἱ ἐσθίοντες «qui manducaverant»; Lc 23, 49 cruci adstabant γυναῖκες αἱ συνακολουθοῦσαι «quae secutae eum erant a Galilaea».

---

(1) Haud scio an hoc recte asseratur, cf. Mt 22, 28, Mc 2, 25; 14, 8; Io 4, 17; G 4, 22; 1 Io 2, 28.

(2) sed Mt 25, 6?; 1 C 13, 11?!

X. AD MODOS

215. « Modus » quid sit, cum saepe vage tantum sciatur, aliqua explicatione indiget. In omni verbo, quo aliquid enuntiatur, distingue actionem quae exprimitur et eius affirmationem. Actionem spectant verbi « voces » (activa, passiva, media, indicantes actionis relationem ad subiectum verbi) et « tempora » (quae ipsam actionem exhibent sive simpliciter, sive ut continuatam, sive ut in effectu perdurantem).

Actionis affirmationem spectant « modi », quibus loquens indicat gradum actualitatis, qua affirmationem suam vestitam vult. Potest enim actionem affirmare ut realem (indicativo), ut probabilem (subiunctivo), ut mere possibilem (optativo), ut ab alio actuandam (imperativo). Modi igitur manifestant aliam et aliam animi dispositionem circa actualitatem actionis enuntiandam ([1]).

1) in propositionibus condicionalibus

216. Haec indoles subiectiva modorum omnino inculcanda est. Habet enim momentum suum etiam pro exegesi, idque imprimis in propositionibus condicionalibus. In his recte distinguunt quinque typos condicionum : condicionem « realem » (εἰ cum indicativo), condicionem « irrealem » (εἰ cum indicativo temporis historici), condicionem « probabilem » (ἐάν [= εἰ ἄν] cum subiunctivo), condicionem « universalem » (ἐάν cum subiunctivo) ([2]), condicionem « possibilem » (εἰ cum optativo).

([1]) « Die Modusformen beziehen sich lediglich auf die geistige Auffassung des Redenden » Kühner-Gerth II, 1, p. 202. Ideo ab antiquis appellabantur διαθέσεις ψυχῆς (« dispositiones animi »). Infinitivus et participium non sunt modi, utpote ex se non exprimentes talem dispositionem mentalem. Nil enim asserunt, sed infinitivus potius considerandus est ut substantivum verbale, participium ut adiectivum.

([2]) Condicio universalis (= iterata) in praeterito classice exprimebatur per εἰ cum optativo, id quod in lingua biblica nusquam occurrit. Cf. **252**.

217. *a*) Quaerimus igitur, quid nobis dicat condicio « **realis** » i. e. quid nobis prodat auctor adhibens εἰ cum indicativo. Numquid fortasse, rem ex mente sua revera ita esse? Utique, haec potest esse u n a ratio adhibendi typum realitatis, e. g. εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν καὶ ὑμᾶς διώξουσιν (Io 15, 20 c) vel ibidem v. 18 εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ, γινώσκετε ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν. In priori casu agitur de facto praeterito, in altero casu de facto praesenti vel potius futuro, quod tam vivide obversatur praescienti animae Domini, ut mentem suam condicione « reali » exprimat, quasi dicat: « si — s i c u t r e v e r a e s t e t e r i t — mundus vos odit, scitote . . . ».

218. At caveatur, ne ratio, cur condicio exhibeatur « realis », semper in eo quaeratur, quod loquens eam h a b e a t realem. Hoc enim certo non verum est, immo oppositum locum habet in exemplo sicut Mt 12, 26. 27 καὶ εἰ ὁ σατανᾶς τὸν σατανᾶν ἐκβάλλει . . . καὶ εἰ ἐγὼ ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια . . . Etiam hic habemus condicionem « realem », immo possumus urgere eam vertendo illud εἰ cum « si revera », « si defacto », at hoc « revera » in nostro casu evidenter non se refert ad opinionem l o q u e n t i s sed ad blasphemam imputationem a d v e r s a r i o r u m: « si revera — sicut vos modo dixistis — ego in Beelzebub eiicio daemones . . . » (1). Idem etiam melius illustratur in textu parallelo apud Marcum 3, 24-26. Thema est: « Quomodo potest satanas satanam eiicere? ». Hoc fieri non posse triplici propositione condicionali ostenditur:

ἐ ὰ ν βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ, οὐ δύναται σταθῆναι . . .
καὶ ἐ ὰ ν οἰκία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ, οὐ δυνήσεται . . . στῆναι
καὶ ε ἰ ὁ σατανᾶς ἀνέστη ἐφ' ἑαυτὸν . . . οὐ δύναται στῆναι.

Bis habemus condicionem « probabilem »: « si — id quod omnino fieri potest — regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare ». In tertio casu, ubi fit applicatio, habemus condicionem « realem », non quasi res ita sit, sed quia ita ab adversariis affirmatum est: « si

(1) Cf. e. g. Robertson, *Grammar*, p. 1008. « This is a good example (cf also G 5, 11) . . . since the assumption is untrue in fact, though a s s u m e d to be true by Jesus for the sake of argument ».

revera — sicut vos praesupponitis — satanas surrexerit in semetipsum ... » (1). Cf. etiam Lc 16, 30 s. ; 23, 37 ; 1 C 15, 15 ; G 1, 8. 9.

219. Veniamus ad exemplum, quod non, sicut hucusque allata, ex contextu iam patet : A 5, 38-39 Gamaliel postulat a collegis suis « discedite ab hominibus istis et sinite illos : quoniam, si est ex hominibus ... hoc ... opus, dissolvetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud ... ». In textu graeco diverso modo exhibentur condiciones huius dilemmatis :

ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων . . . καταλυθήσεται (condicio « probabilis »),
εἰ δὲ ἐκ θεοῦ ἐστιν, οὐ δυνήσεσθε καταλῦσαι... (condicio « realis »).

Hanc condicionem « realem » merito vertimus : « si autem revera ex Deo est » et quaerimus : quid inde concludi potest de mente Gamalielis, qui loquitur ? Respondendum : nihil, seu potius nihil aliud quam eum in altera condicione voluisse dicere « si revera ». Cur hoc voluerit, non possumus dirimere. Potuit enim exhibere condicionem ut « realem » se referens ad suam opinionem (« si autem revera, sicut mihi videtur ») ; potuit autem idem facere se referens ad assertionem apostolorum (« si autem revera, sicut isti accusati asserunt »). Aliis verbis : ponere condicionem « realem » non dicit necessario et univoce quicquam nec de rei veritate nec de loquentis in hac re opinione, sed est simplex « modus » dicendi (saepe : « si revera »), cuius ratio potest alia esse et alia, potest esse loquentis de re opinio, potest esse aliorum assertio utcumque falsa. Similiter condicio prior (« probabilis ») ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων ut probabilis ponitur nequaquam necessario ideo, quia loquens ipse eam probabilem tantum habeat, sed fortasse, quia ei placet ex mente aliorum loqui.

220. Mirum est hoc interdum non satis attendi idque ne a peritissimis quidem.

Ita ad exemplum nostrum (A 5, 38) legimus apud L. Radermacher (2) : « valde significans est distinctio in oratione Gamalielis Pharisaei, utique

(1) Non est igitur cur tertium membrum ut irreale sumatur (sicut e. g. a Radermacher², p. 176), quamvis hîc quidem et sensus et forma hoc permitteret.

(2) *Neutestamentliche Grammatik*² 1925, p. 176.

distinctio quae docere videtur (« die wohl lehrt ») sermonem hunc . . . ab auctore Actuum accepisse formam, quae inconscie influxum passa est a persuasione a u c t o r i s » (scl. Lucae). Deinde notat ad ἐὰν (ᾖ ἐξ ἀνθρώπων) « sicut adversarii religionis Christianae opinantur . . . », ad εἰ δὲ ἐκ θεοῦ ἐστιν notat : « hoc igitur (ex mente loquentis) actu ita est ». « Gamaliel ex s u a persona has duas condiciones rectius vice versa formulasset. Sed hic loquitur auctor Actuum, cui de veritate doctrinae suae persuasum est » (¹). — Ex supra dictis patet hanc conclusionem, saltem in forma categorica, non esse legitimam. Nam haec explicatio est una tantum ex duabus vel tribus quae dari possunt : condicio enim — ne taedeat repetitio — ponitur realis aut quia Lc Gamalielem facit loquentem ex sua (L u c a e) opinione, aut quia (ex mente scriptoris) Gamaliel loquitur sub impressione tot tantorumque eventuum extraordinariorum « si revera — ut mihi fere videtur — », aut Gamaliel se refert ad assertionem Apostolorum « si revera — sicut isti dicunt — ».

221. Generatim notandum est : condicio « realis » in NT fere semper aliquo modo urgeri potest ; saepissime enim ideo et ibi occurrit, ubi et quia auctor se refert ad aliquid antecedens. Quapropter εἰ in NT plerumque reddi potest « si igitur », « si revera » sicut dicitis, sicut videtis.

Exemplis iam datis addo pulchrum illud S. Petri in transfiguratione Domini Mt 17, 4 : « Domine, bonum est nos hic esse, si vis (ε ἰ θ έ λ ε ι ς), faciamus hic tria tabernacula . . . ». Ex usu NT, de quo modo sermo erat, possumus vertere « si i g i t u r vis » et habemus totam Petri impetuositatem, qua pro enthusiasmo suo condicionem (« si vis ») iam quasi anticipat adimpletam et consensum datum. Omnino aliter leprosus ille qui dicit : « Domine, si vis (ἐ ὰ ν θ έ λ ῃ ς), potes me mundare » (Mt 8, 2). Plenam et absolutam exprimit persuasionem de potestate Domini (indicativo « potes »), exsecutionem autem modeste relinquit libero eius beneplacito. At iterum monendum est, ne quis ex solo modesto modo e x p r i m e n d i condicionem (ut « probabilem ») iam concludat leprosum de voluntate Domini d u b i t a s s e .

222. Vide etiam Lc 17, 6 : εἰ ἔχετε (condicio « realis ») πίστιν . . . ἐλέγετε ἄν . . . (irrealis). Apodosis in irreali faceret exspectare ir-

---

(¹) Eandem interpretationem invenies apud F. Jackson and K. Lake, *The Beginnings of Christianity*, II, p. 29 s. (qui sequuntur Radermacher). « Here the author betrays himself as composer of the speech as he unconsciously has stepped into the place of the person speaking ».

realem etiam in protasi (εἰ εἴχετε). Condicio « realis » explicatur ex eo, quod immediate antecedit. Dominus enim respondet apostolis qui rogaverant « a d a u g e nobis fidem » supponentes a l i q u a m fidem se habere. Ad hanc suppositionem (erroneam) se referens Dominus dicit : « si revera (sicut supponere videmini) habetis fidem (sed non habetis, si enim haberetis fidem utcumque parvam sicut granum sinapis), diceretis . . . ». Ita ab illa non exspectata condicione « reali » cogitatio Domini ostenditur complexior esse quam ex Vg aliisque versionibus apparet.

223. Sunt et alii casus in quibus praeter exspectationem loco irrealis habetur typus realitatis e. g. Mc 9, 42 cum textu parallelo Lc 17, 2 de eo qui « scandalizaverit unum ex his pusillis »: καλόν ἐ σ τ ι ν αὐτῷ μᾶλλον εἰ π ε ρ ί κ ε ι τ α ι μύλος ὀνικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ καὶ β έ β λ η τ α ι εἰς τὴν θάλασσαν. Nescio an recte hic sermo fiat de inconcinnitate grammaticali et ideo praeferatur lectio varians codicum D et W, qui irrealem legunt περιέκειτο et ἐβλήθη (1). Mihi potius videtur magna vis inesse illi inexspectato typo realitatis fere violenter adhibito in re irreali, quasi Dominus vivissima cum rei repraesentatione (perfecta !) diceret : « talis homo lapide aggravatus in mare proiectus bene stat ». Simile quid habes G 5, 11 : « ego autem si circumcisionem adhuc praedico, quid adhuc persecutionem patior ? » εἰ . . . ἔτι κ η ρ ύ σ σ ω , τί ἔτι διώκομαι ; Hic quoque condicio o b i e c t i v e est irrealis, ideo secundum communiter contingentia exspectaveris eam a Paulo etiam ut irrealem p o n i , εἰ ἐκήρυσσον « praedicarem », et in apodosi : « non iam persecutionem paterer » οὐκέτι ἐδιωκόμην ἄν. At non ita est. Et hoc ipsum inexspectatum deviare a communi modo loquendi nos attentos reddit ad ingentem huius loci vivacitatem et passionem : subiectum emphatice ponitur in initio « ego autem, Fratres », condicio, quae obiective est admodum irrealis, pro exuberante vivacitate loquentis p o n i t u r realis (germanice : « gesetzt, ich predige »), apodosis evadit interrogatio rhetorica. Cf. etiam 2 C 11, 4.

224. Quodsi dictum est condicionem « realem » in NT plerumque urgeri posse, tamen recordari oportet εἰ cum indicativo (condicionem « realem ») etiam in NT interdum significare m e r u m n e x u m sen-

---

(1) Debrunner 372, 3 « Übergriff in das Gebiet des Irrealis ».

tentiarum, relationem condicionalem simpliciter sine ulla alia idea connotata, ita ut, nisi contextus ad hoc se praestat, in tali condicione « reali » nihil subtilitatis quasi cum violentia quaerendum sit. Ideo, quamvis, supra illud Petri εἰ θέλεις non sine ratione et fructu urserimus, tamen nil simile audemus e. g. in illo Domini orantis : « Pater, ε ἰ βούλει, transfer calicem hunc a me » (Lc 22, 42). Aliter fortasse in textu parallelo Mt 26, 39 « Pater mi, εἰ δυνατόν ἐστιν, transeat a me calix iste », quia Mc 14, 36 idem illud εἰ δυνατόν ἐστιν explicat circumscribendo orationem Domini ita : « Abba pater, o m n i a t i b i p o s s i b i l i a s u n t , transfer calicem hunc a me ».

His dictis breviter rem complecti possumus : modus « realis » adhibetur ubi condicio ponitur pure et simpliciter sive de praesenti sive de praeterito et hic modus plerumque adhibetur ubi condicio supponitur vel exhibetur impleta.

225. *b*) Pro condicione « **probabili** » (vel exspectationis) indoles subiectiva modi bene illustratur in textu graeco Ps 49 (50), 12, utpote ubi subiectiva positio condicionis ab obiectiva rei veritate evidenter discrepet (plerumque enim utrumque coincidit). Deus loquens contra nimis materialem de sacrificiis opinionem dicit : ἐ ὰ ν πεινάσω, οὐ μή σοι εἴπω, ἐμὴ γάρ ἐστιν ἡ οἰκουμένη... Habemus assumptionem quae o b i e c t i v e deberet esse irrealis (quia assumptio Dei esurientis est impossibilis). At in modis non agitur de obiectiva veritate, sed de subiectivo modo exprimendi rem. Ideo hîc Deus introducitur loquens anthropomorphice de casu esuriendi ut d e c a s u o m n i n o p r o - b a b i l i . Recte ideo Vg adhibet simplex futurum (et correspondens futurum exactum) : « si esuriero non dicam tibi ». Noli igitur dicere : condicionem irrealem exprimi posse per ἐάν cum coniunctivo, ne quis hoc perperam intellegens in nostro casu dicat illud ἐάν πεινάσω esse irreale, cum revera sit, sicut semper, assumptio quae subiective ponitur ut probabilis, quamvis hîc (per exceptionem) probabilis non sit.

Ad hoc ut coniunctivus ponatur sufficit, interdum ut propositio sit implicite tantum condicionalis e. g. Lc 11, 5. 7 τίς ἕξει φίλον καὶ ε ἴ π ῃ αὐτῷ . . . κἀκεῖνος ἔσωθεν ἀποκριθεὶς ε ἴ π ῃ . . . (Cf. ex LXX Eccl 9, 14, ubi integra expositio quattuor verborum habetur in coniunctivo).

226. Ut auctor graecus typum probabilitatis (vel exspectationis) adhibeat, omnino sufficit ille minimus defectus actualitatis, qui habetur ubicumque agitur de re futura. Ideo noli concludere, sicut inter-

dum in commentariis fit, auctorem, qui condicionem ponit in typo probabilitatis, eo ipso exprimere aliquod dubium. E. g. ad 1 C 16, 10 ἐὰν δὲ ἔλθῃ Τιμόθεος ALLO concedit ἐάν hic certe dicere dubitationem et longa reflexione psychologica ostendit hoc dubium componi posse cum certitudine quam Paulus de eadem missione exprimit in 4, 17 (ἔπεμψα ὑμῖν Τιμόθεον) et ideo J. WEISS immerito ex hac « contradictione » concludere contra unitatem epistolae. Si dubium illud invenitur in eo quod habeatur propositio condicionalis et non temporalis (ἐάν loco ὅταν) fortasse (¹) admitti potest, si autem argumentatio fit ex sola coniunctione ἐάν, quasi per se iam dicat dubitationem, argumentatio non est ad rem, ἐάν enim indicat exspectationem, indicat impletionem condicionis ut exspectatam.

227. *c*) Valde affinis huic condicioni « probabili » seu exspectationis est **condicio universalis,** quae et ipsa redditur per ἐάν et coniunctivum, et solet adhiberi de iteratione in praesenti : « si » fere = quotiescumque e. g. ἐὰν ποιῇς ἐλεημοσύνην (Mt 6, 2). Si in talibus casibus ubi exspectaveris ἐάν, ὅστις ἄν, habes e contra typum realitatis, recte fortasse subauditur categorica assertio nexus inexorabilis inter condicionem et condicionatum e. g. Lc 14, 26 s. εἴ τις ἔρχεται πρός με καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα αὐτοῦ... οὐ δύναταί εἶναί μου μαθητής. ὅστις οὐ βαστάζει τὸν σταυρὸν ἑαυτοῦ...

228. *d*) Pro condicione « **possibili** » exemplo sit 1 P 3, 14 (cf. 17) ἀλλ' εἰ καὶ πάσχοιτε διὰ δικαιοσύνην, μακάριοι « sed et si quid patimini propter iustitiam, beati », et iterum v. 17 « melius est benefacientes, εἰ θέλοι τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ,pati quam malefacientes ». In utroque casu condicio ponitur optativo ut mere possibilis, ut assumptio aliqua mere subiectiva, ut possibilitas quasi theoretica tantum. Et tamen S. Petrus optime scit, passiones et vexationes in vita christiana esse obiective admodum probabiles, fortasse ex parte apud lectores iam actuales. Sed, ut est delicatus animo, loquens de passionibus ad homines passionum fugientes mavult « modum » dicendi adhibere, qui meram innuit possibilitatem.

(¹) « fortasse », nam « gelegentlich kommt die Bedeutung des ἐάν sehr nahe an die von ὅταν heran (Is 24, 13 ; Amos 7, 2 ; 1 Io 2, 28; Io 12, 32 ; 14, 3 ; 1 C 16, 10 ; 2 C 5, 1 ; 13, 2 ; Col 4, 10 ; H 3, 7) W. BAUER, *Griech. Deutsches Wörterbuch* ad vocem 1 d.

228a. Res exegetice non caret momento. Nota enim est difficultas quae invenitur in eo quod in priori parte primae epistulae Petrinae (1, 3 - 4, 11) de aerumnis Christianorum quasi hypothetice tantum sermo est (1, 6; 3, 17), dum in parte finali 4, 12 ss concretae vexationes supponuntur. Preisker in hac quoque differentia fundat theoriam suam secundum quam 1 P esset liturgia baptismalis litteris mandata cuius pars prior catechumenos spectet, pars altera congregationem communitatis plenariam.

His omnibus voluimus illustrare modos esse a s s e r e n d i modos, qui saepe non permittunt c e r t i aliquid concludere nec de rei veritate nec de subiectiva loquentis opinione, sed per se et necessario tantummodo de subiectiva voluntate loquentis vestiendi assertionem suam (quacumque ex ratione) maiore vel minore actualitate.

229. *e*) **Irrealis** etiam in lingua biblica haud raro occurrit isque in forma sua classica: in propositione condicionali εἰ cum tempore historico, in apodosi item imperfectum vel aoristum cum ἄν.

229a. Quod d i s t i n c t i o n e m t e m p o r u m attinet, in scholis discimus — nimis forsan summarie —: imperfectum indicat id quod nunc *esset*, aoristum id quod in praeterito *fuisset*. Et hoc plerumque quidem verum est: Io 18, 36: εἰ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ἦν ἡ βασιλεία ἡ ἐμή, οἱ ὑπηρέται ἂν οἱ ἐμοὶ ἠγωνίζοντο « si ... esset ... pugnarent ». Et de praeterito: Mt 11, 21: « si in Tyro ... facta essent miracula (εἰ ... ἐγένοντο), poenitentiam egissent (... ἂν ... μετενόησαν).

At revera *a*) imperfectum stat etiam pro praeterito et *b*) aoristum videtur inveniri etiam in irreali praesenti.

Ad *a*): Mt 23, 30 εἰ ἤμεθα ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν πατέρων ἡμῶν οὐκ ἂν ἤμεθα αὐτῶν κοινωνοί « si fuissemus ... non fuissemus socii eorum (scl. patrum qui prophetas interfecerunt) ». Statne hic imperfectum, quia verbum « esse » caret aoristo? Sed idem etiam cum aliis verbis habetur: H 8, 7 ex facto Novi Foederis instituti concluditur ad abolitionem Veteris: « nam si illud prius culpa vacasset (εἰ ... ἦν ἄμεμπτος), non utique alterius quaesitus esset locus (οὐκ ἂν ... ἐζητεῖτο ...) ».

Ad *b*): Lc 12, 39 = Mt 24, 43 « Si sciret (εἰ ᾔδει impf.) pater familias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique (ἐγρηγόρησεν ἂν aor.) et non sineret (οὐκ ἂν εἴασεν) perfodi domum suam ». Hic fortasse recursus fieri potest ad aoristum « gnomicum » (**191**) seu ad usum frequentem narrandi parabolas in praeterito. — At Mt 24, 22 sermo est de futuro eschatologico et tamen aorista adhibentur: εἰ μὴ ἐ κ ο λ ο β ώ θ η σ α ν αἱ ἡμέραι

ἐκεῖναι οὐκ ἂν ἐ σ ώ θ η πᾶσα σάρξ quod videtur vertendum : « nisi breviarentur dies illae, non fieret salva omnis caro ». Sunt tamen qui hic recurrant ad propheticum modum exhibendi futura ut praeterita. Quid autem ad Io 14, 28 : εἰ ἀγαπᾶτε με, ἐ χ ά ρ η τ ε ἄν.. « si diligeretis me, *gauderetis* utique quia vado ad Patrem ». Est tamen qui hic vertat : « gavisi essetis ».

229b. Omnes rationes, quae afferuntur ad has apparentes irregularitates explicandas (defectus aoristi ad εἶναι, aor. gnomicum, praeteritum propheticum) habeant quo commendentur, sed eis saltem addenda (si non substituenda) est ratio magis obvia haec : hic quoque aorista (quamvis in indicativo !) et imperfecta adhibentur non ad distinguenda tempora (praesens vel praeteritum), sed ad distinguenda g e n e r a a c t i o n i s. Exemplum sat conspicuum habes in H 11, 15 : Patriarchae se consideraverunt « peregrinos et hospites super terram » significantes se patriam quaerere, non autem profecto patriam unde venerant, nam « si illius meminissent (εἰ ἐμνημόνευον) de qua exierant, habuissent (εἶχον ἄν) utique tempus eo revertendi ». Genus actionis (durantis) fere ita reddideris : « si *adhuc* meminissent... *adhuc* habuissent. (Cf. etiam **214** de typice graeco neglectu anterioritatis) (1).

230. Particula ἄν in apodosi iam classice deesse solet apud verba quae significant obligationem, convenientiam, necessitatem e. g. καλὸν ἦν, ἔδει, ἔχρην. Haec libertas hellenistice extenditur etiam ad alia verba, ita Paulus testatur Galatis 4, 15 : εἰ δυνατόν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν . . . ἐδώκατέ μοι (sine ἄν).

231. Quae hucusque de condicionalibus dicta sunt, non minus classicam quam hellenisticam spectant graecitatem. **Anomaliae hellenisticae** in re nostra reducuntur ad quandam incertitudinem in usu particulae ἄν (ἐάν). Ita legimus ἐάν cum futuro : e. g. Lc 19, 40 ἐὰν οὗτοι σιωπήσουσιν, οἱ λίθοι κράξουσιν (cf. Apc 2, 22), immo ἐάν cum indicativo praesentis : ἐὰν οἴδαμεν ὅτι ἀκούει ἡμῶν. . . . (1 Io 5, 15 ; cf. 1 Th 3, 8). In exemplo priore Pharisaei postulaverant ut Iesus discipulos iuberet tacere ; in altero exemplo praecedit : « haec est fidu-

(1) De facto legimus apud E. Schwyzer - A. Debrunner, *Griechische Grammatik*, p. 348 s ; 686 : « Für die Wahl des Tempus ist der Aspekt massgebend » i. e. etiam in irreali tempus adhibendum determinatur a « genere actionis » (« aspect »).

cia quam habemus . . . quia (Filius Dei) audit nos ». In utroque igitur casu ex contextu exspectaveris εἰ non ἐάν. « M e n d u m », si ita loqui fas est, non est in usu modi, sed i n u s u c o n i u n c t i o n u m: εἰ et ἐάν incipiunt confundi. Ideo non tantum invenitur indicativus post ἐάν, sed etiam vice versa subiunctivus post εἰ e. g. 1 C 14, 5 (ubi utique ἐκτὸς εἰ μή est formula quasi fixa), vel Apc 11, 5.

2) In oratione relativa

232. Momentum eorum, quae de condicionalibus, imprimis de condicionibus « reali » et « probabili », dicta sunt, haud parum crescit ex eo, quod eadem omnino applicationem habent in oratione relativa (indeterminata), quae amplectitur praeter orationes simpliciter relativas (ὅς, ὅστις, ὅσος, οἷος etc.) etiam temporales (ὅτε, ὡς, ἕως οὗ, ἄχρι οὗ etc.), comparativas (ὡς, καθώς, ὥσπερ etc.), locales (οὗ, ὅθεν etc.). Hae enim omnes, quatenus sunt « indeterminatae » (i. e. non se referunt ad antecedens determinatum) implicant aliquid hypotheticum (« quicumque dixerit » = « si quis dixerit » cf. Mt 18, 28 : ἀπόδος εἴ τι ὀφείλεις = quidquid debes = ὅ τι ἂν ὀφείλῃς) et ideo tractantur **ad analogiam propositionum condicionalium,** ita ut in his quoque quinque illi typi (condicionalium cf. **216**) distinguendi essent. Cum autem practice duo (tres) tantum in usu sint, breviter dici potest : sicut in condicionalibus se habet εἰ ad ἐάν, ita in relativis se habet ὅς ad ὅσ(τις) ἄν (utrumque simul 2 C 8, 12) et in earum affinibus : ὅτε ad ὅταν, ἕως ad ἕως ἄν, ὅπου ad ὅπου ἄν etc. i. e. ἄν (hellenistice saepe abusive ἐάν) cum subiunctivo indicat typum probabilem vel universalem. Ideo :

sicut εἴ τις θέλει λέγει	ita ὅστις θέλει λέγει (typ. « realis ») ;
sicut ἐάν τις θελήσῃ ἐρεῖ	ita ὅστις ἂν θελήσῃ ἐρεῖ (typ. « probabilis ») ;
sicut ἐάν τις θέλῃ λέγει	ita ὅστις ἂν θέλῃ λέγει (typ. « univers. »).

233. Et sicut in his casibus analogae omnino sunt constructiones regulares, ita analogae quoque in eis inveniuntur **anomaliae** hellenisticae (cf. **231**):

1) post ἄν indicativus futuri :

sicut post ἐάν e. g. Lc 19, 40 ἐὰν σιωπήσουσιν . . . κράξουσιν,
ita post ὃς ἄν e. g. Mc 8, 35 ὃς ἂν ἀπολέσει . . .σώσει,
ita post ὅταν e. g. Apc 4, 9 ὅταν δώσουσιν . . . πεσοῦνται.

2) post ἄν indicativus praesentis vel praeteriti :

sicut post ἐάν e. g. 1 Jo 5, 15 ἐὰν οἴδαμεν... οἴδαμεν,
ita post ὅταν e. g. Mc 11, 19 ὅταν ὀψὲ ἐγένετο, ἐξεπορεύοντο.
ita post ὅσοι ἄν e. g. Mc 6, 56 b ὅσοι ἂν ἥψαντο... ἐσῴζοντο (cf. **252**).

3) subiunctivus sine ἄν :

sicut post εἰ e. g. 1 C 14, 5 ἐκτὸς εἰ μὴ διερμηνεύῃ,
ita post ὅστις... e. g. Iac 2, 10 ὅστις... τηρήσῃ,
ita post ἕως e. g. Lc 13, 35 (οὐ μὴ ἴδητέ με) ἕως εἴπητε [1]

234. Ex his omnibus manifestum est : m o d i s propriam suam vim retinentibus n e x u s grammaticalis inter coniunctionem et determinatum modum (subiunctivus post ἄν) incipit relaxari, εἰ et ἐάν, ὅτε et ὅταν etc. incipiunt confundi, qui processus in Graeco moderno ad finem perductus effecit, ut eliminatis formis debilioribus εἰ et ὅτε solae formae pleniores ἐάν et ὅταν superstites sint, quae in casu reali cum indicativo, in casu probabili cum subiunctivo adhibentur.

235. Ut autem ad exegesim revertamur, est qui interrogaverit, quid de mente et exspectatione Beatae Virginis in Cana erui possit ex eo quod servos refertur iussisse : ὅ τι ἂν λέγῃ ὑμῖν, ποιήσατε « quodcumque dixerit vobis, facite » Io 2, 5. Huic philologus modeste debet respondere : si habemus hic typum probabilitatis, ratio cur ἄν ponatur non minus potest esse certissima exspectatio quam simplex factum quod agitur de re futura. Praesens autem (λέγῃ) loco aoristi (εἴπῃ) suadet potius typum universalitatis (latine : « quodcumque »), id quod (ex contextu) attentionem potius in obiectum quam in factum iussionis convertit et probabilem reddit in loquente exspectationem (quamcumque) iussionis alicuius m i r a e .

3) In oratione finali

236. Ἵνα quod classice semper habet coniunctivum (vel optativum « obliquum ») hellenistice et in NT invenitur etiam **cum indicativo futuri** (quamvis fere semper cum coniunctivo in lectione variante),

---

[1] Apud ἕως cum coniunctivo particula ἄν deest saepe, apud ἕως οὗ, μέρχι οὗ etc. quasi semper.

e. g. Lc 14, 10 « recumbe in novissimo loco ἵνα ... ἐρεῖ ut, ... qui te invitavit, dicat tibi », vel 1 C 13, 3 « et si tradidero corpus meum ἵνα καυθήσομαι ... ». Similiter in formula οὐ μή (= οὐ φόβος ἐστὶν μή) loco coniunctivi aoristi (**309**) habetur indicativus futuri (Mt 26, 35; Mc 13, 31; 14, 31; Io 10, 5; G 4, 30).

237. Res mira non est consideranti *affinitatem*, qua futurum cum coniunctivo (aoristi) coniungitur et genetice (ex illo coniunctivo futurum videtur originem ducere) et semantice (utrumque dicit defectum quemdam actualitatis). Ideo etiam post ἐάν (et ἄν) invenimus loco coniunctivi futurum (cf. **231. 232**); propter eandem affinitatem iam classice interrogatio dubitativa sive coniunctivo (in 1ª persona) sive indicativo futuri (in 2ª et 3ª persona) reddi potuit.

Affinitas igitur illa inter futurum et coniunctivum ratio est, cur huius loco illud inveniatur et tantummodo illud (scl. futurum). Indicativus praesentis post ἵνα considerandus est ut corruptela. In 1 C 4, 6 ἵνα μὴ ... φυσιοῦσθε « ne ... inflemini » et G 4, 17 ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε « ut illos aemulemini » formae verbales considerandae sunt coniunctivi ad analogiam cum verbis in -άω, in quibus indicativus et coniunctivus plene coincidunt (non in singulari tantum sicut apud verba in -όω).

238. Casus specialis est ille, in quo post ἵνα (vel μή) cum subiunctivo sequitur alterum verbum in futuro e. g. Io 15, 8 « In hoc clarificatus est Pater meus ἵνα καρπὸν φέρητε (coni.) καὶ γενήσεσθε (fut.) ἐμοὶ μαθηταί »; cf. Io 12, 40 (LXX); Lc 12, 58. Sunt qui dicant alterum membrum tamquam ulteriorem effectum addi cum quadam independentia a coniunctione (1), at non est, cur ulla fiat distinctio, praesertim cum idem etiam inveniatur in successione inversa, ita ut futurum habeatur loco priore et subiunctivus sequatur loco altero e. g. Apc 22, 14 ἵνα ἔσται ... καὶ εἰσέλθωσιν.

239. In **propositionibus relativis** (determinatis, de indeterminatis vide supra **232 ss**) interdum sensus finalis ratio est, cur ponatur coniunctivus (sine ἄν) e. g. A 21, 16 ἄγοντες (ἡμᾶς) παρ' ᾧ ξενισθῶμεν

(1) Hoc utique bene conveniret cum generali semitarum praedilectione qua coordinationem praeferunt subordinationi, qua ex oratione indirecta quam primum transeunt in directam, qua etiam in propositionibus relativis influxus pronominis facile abrumpitur cf. e. g. 2 P 2, 3 « quibus iudicium ... non cessat et perditio eorum (loco « et quorum perditio ») non dormitat » vel 1 C 8, 6 (idem etiam classice invenitur); cf. **312** ss.

Μνάσωνι = πρὸς Μνάσωνα ἵνα ξενισθῶμεν παρ' αὐτῷ « ut hospitaremur apud eum ». Vel Lc 7, 4 ubi de centurione dicunt : « dignus est, ut hoc illi praestes ». Mirum est Vulgatam hic quasi magis graece loqui (« dignus ut ») quam textus graecus, qui imitatur latinum (« dignus qui ») : ἄξιός ἐστιν ᾧ παρέξῃ (futurum loco coniunctivi) τοῦτο.

240. Timor et praeoccupatio exprimitur coniunctionibus μή, μή πως, μή ποτε generatim cum subiunctivo (vel, quod non iam mirum est, cum indicativo futuri e. g. Mc 14, 2 ; H 3, 12 ; C 2, 8). Generatim, dico, nam hic quoque optime illustratur quaedam modorum a coniunctionibus independentia (aliter omnino ac in latino, ubi post « ne » necessario sequitur coniunctivus). Nam sicut classice ita etiam in NT distinguitur inter timorem qui respicit rem futuram, incertam, adhuc evitabilem et evitandam (coniunctivus) et timorem qui respicit rem praeteritam, iam non evitandam vel a voluntate timentis independentem. Exempla ubi utrumque in eodem textu conspicitur sunt G 2, 2 « Ascendi . . . et contuli cum illis evangelium (meum) . . . ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem » μή πως εἰς κενὸν τρέχω (coni.) ἢ ἔδραμον. Et similiter 1 Th 3, 5 « Misi ad cognoscendam fidem vestram, ne forte tentaverit vos (diabolus) . . . et inanis fiat labor noster » μή πως ἐ π ε ί ρ α σ ε ν ὑμᾶς ὁ πειράζων καὶ εἰς κενὸν γ έ ν η τ α ι ὁ κόπος ἡμῶν. In utroque exemplo indicativo redditur quod iam prateritum est (cf. etiam G 4, 11), coniunctivo quod spei adhuc relinquit locum.

4) In oratione indirecta

241. Non est in lingua graeca id, quod in latina dicitur « consecutio temporum », sed in oratione obliqua tempora [1] et modi adhibentur, quae essent, si oratio esset directa. Classice post tempus historicum loco

---

[1] E. g. Mc 6, 55 ὅπου ἤκουον ὅτι ἐ σ τ ί ν « ubi audiebant eum esse (quod *esset*) ». Ideo in A 16, 3 « sciebant enim quod pater eius erat (ὑ π ῆ ρ χ ε ν) gentilis » concludi deberet patrem tunc mortuum fuisse (secus haberetur ὑπάρχει), nisi huius legis etiam exceptiones (utique rarae) invenirentur e. g. Io 2, 25 « ipse sciebat, quid esset (ἦν) in homine », ubi oratio directa haberet praesens ; cf. etiam Io 6, 6 ; 8, 27 ; 11, 51 ; 12, 16 ; A 17, 13 etc.

indicativi et coniunctivi potuit adhiberi optativus qui ideo appellatur **optativus « obliquus »** (« consecutio modorum »). Huius in NT paucissimae exstant reliquiae apud solum Lucam quippe qui, imprimis in A, modum dicendi diligenter accommodet sive rei subiectae sive personae, quam facit loquentem. Ita exemplum maxime conspicuum invenitur in ore Festi loquentis cum rege Agrippa : « respondi (Iudaeis accusatoribus Pauli) quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem . . . priusquam . . . praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat » πρὶν ἢ κατὰ πρόσωπον ἔχοι τοὺς κατηγόρους τόπον τε ἀπολογίας λάβοι (A 25, 16). Cetera exempla omnia habentur in interrogationibus indirectis, ubi saepe dubium manet, sitne optativus vere « obliquus » an potius potentialis. E. g. optativum obliquum habes in annuntiatione : Maria « cogitabat, qualis esset ista salutatio » διελογίζετο ποταπὸς ε ἴ η ὁ ἀσπασμὸς οὗτος (Lc 1, 29). Potentialis autem positive suadetur, si ἂν accedit e. g. Lc 1, 62 « innuebant autem (cognati) patri eius, quem vellet vocari eum » τί ἂν θέλοι καλεῖσθαι αὐτό. In hac igitur interrogatione obliqua habetur optativus cum ἄν (= potentialis), quia idem ex mente auctoris fuisset in interrogatione directa scl. « τί ἂν θέλοι . . . ? » « quid voluerit . . . ? ». Similiter novies in Evangelio (Lc), sexies in Actibus.

242. Cum autem hi optativi, in quantum sunt obliqui, considerandi sint reliquiae et reminiscentiae linguae litterariae, generatim dici debet **internam dependentiam,** quae in lingua latina saepe tanta cum subtilitate usu venit, in lingua NT[i] non exprimi ; id quod a nobis interdum ut durum sentitur e. g. Lc 18, 9 « dixit ad quosdam πεποιθότας ὅτι ε ἰ σ ὶ ν δίκαιοι » ; vel A 6, 1 « factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos eo quod d e s p i c e r e n t u r viduae eorum, ὅτι παρεθεωροῦντο ». Hic ipse sensus in graeco ambiguus est, nam illud imperfectum p o t e s t edicere f a c t u m et non tantummodo (sicut Vg) opinionem murmurantium. Cf. etiam 2 C 3, 5 οὐχ ὅτι . . . ἱκανοί ἐ σ μ ε ν « non quod sufficientes s i m u s » vel Th 2, 4 ubi antichristus in templo describitur ut « ostendens se tamquam s i t Deus » ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐ σ τ ὶ ν θεός.

243. Quia in oratione obliqua modi iidem sunt ac in oratione directa, **coniunctivi,** qui occurrunt, vix umquam (sicut in latino) ex sola oratione obliqua iustificari possunt, sed aliter explicari debent (fuisset enim coniunctivus etiam in oratione directa). E. g. Mc 9, 6 Petrus proponens, ut construantur tria tabernacula, legitur nescivisse

« quid d i c e r e t » οὐ γὰρ ᾔδει τί ἀ π ο κ ρ ι θ ῇ (cf. Mc 14, 40). Coniunctivus hic explicari debet ut dubitativus (supponitur oratio directa : τί ἀποκριθῶ; « quid dicam ? »). Stricte loquendo igitur sensus non est (sicut latine esse posset) : Petrus locutus est quasi inconscius eorum quae dicebat, sed : nesciens, quid in tanto stupore dicendum esset, dixit haec; e contrario in loco parallelo Lc 9, 33 : μὴ εἰδὼς ὃ λ έ γ ε ι). — Similiter apud Mt 6, 25 : « ne solliciti sitis . . . quid manducetis vel bibatis » τί φάγητε ἢ τί πίητε; in his coniunctivis graecis subaudienda est anxia interrogatio dubitativa d i r e c t a « quid manducemus, quid bibamus ? » quae sola ratio est, cur habeantur coniunctivi in hac oratione obliqua.

243ª. Tamen videntur esse rarissimi casus ubi coniunctivus in oratione indirecta ex oratione directa explicari non potest e. g. Lc 12, 36 : « . . . expectantibus, quando (dominus) revertatur (ἀναλύσῃ) a nuptiis » (cfr etiam Ph 3, 12). Ideo DEBRUNNER 368 loquitur de « extensione coniunctivi (in oratione indirecta) ultra limites linguae classicae ».

5) In oratione consecutiva

244. Coniunctio consecutiva ὥστε duplicem habet constructionem scl. cum infinitivo et cum indicativo prout attentio loquentis respicit potius n e x u m consecutivum vel potius effectum ut s e c u t u m. Cum in toto NT constructio cum indicativo bis tantum occurrat (¹) contra plus quam 50 casus constructionis cum infinitivo, haec ipsa raritas maiorem his locis conciliat attentionem. Si igitur Io 3, 16 legimus « sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret » ὥ σ τ ε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ ἔ δ ω κ ε ν, ius nobis est hunc rarissimum indicativum quasi ut testem considerare intimae commotionis, qua sacer auctor commovebatur recogitans f a c t u m illud inauditae novitatis, eventum illum, omnium eventuum cardinem

(¹) Hic agitur de ὥστε cum indicativo in oratione vere s u b o r d i n a t a, non de multis illis casibus, in quibus ὥστε in initio novae propositionis est particula mere illativa (= itaque, igitur, quapropter) e. g. post parabolam de ove salvanda die sabbati conclusio fit : ὥστε ἔξεστιν τοῖς σάββασιν καλῶς ποιεῖν « i t a q u e licet sabbatis benefacere » (Mt 12, 12).

et coronam : « et Verbum caro f a c t u m e s t ». — Similiter iure merito affectum quemdam, et hic quidem indignatae admirationis, supponere possumus in S. Paulo scribente de Petri « simulatione » cui « consenserunt ceteri Iudaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem » ὥ σ τ ε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει (G 2, 13). Fere verteris : « ut d e f a c t o vel B. abriperetur . . . ». — Repeto tamen : non auderemus tantam ponere emphasim in his duobus exemplis, nisi in toto NT sola starent contra 50 constructionis alterius.

6) De oratione consecutiva et finali

245. Oratio consecutiva exhibet terminum in quem aliqua actio tendit natura sua vel cum necessitate, oratio finalis exhibet terminum in quem aliqua actio tendit (vel potius dirigitur) ex intentione agentis. Sunt igitur valde affines inter se : consecutio enim habetur in utroque casu, finalitas addit tantummodo intentionem agentis. Sicut generatim in evolutione linguae (vernaculae) ea quae affinia sunt tendunt ad hoc ut aequiparentur et confundantur, ita hîc quoque nil mirum est limites inter consecutionem meram et consecutionem finalem in lingua hellenistica oblitterari, idque in lingua biblica fortasse eo magis quod totus modus cogitandi Hebraeorum imbutus est idea Dei, omnium rerum et eventuum causae principalis et universalis.

246. Hinc constructiones, quae classice finalitatem exprimebant, nunc etiam de mera consecutione adhibentur e. g. infinitivus cum τοῦ (per se = « alicuius rei gratia ») sicut R 7, 3 « si autem mortuus est vir, (mulier) liberata est . . . ut non sit (τ ο ῦ μὴ ε ἶ ν α ι αὐτήν) adultera, si fuerit cum alio viro » (etiam R 8, 12 ; Lc 24, 16 ; H 11, 5) ; vel εἰς τό cum infinitivo sicut R 1, 20 : gentiles Deum potuerunt cognoscere « invisibilia enim ipsius . . . intellecta conspiciuntur, ε ἰ ς τ ὸ ε ἶ ν α ι αὐτοὺς ἀναπολογήτους « ita ut sint inexcusabiles » (cf. 4, 11 ; H 11, 3) — Immo distinctio vel ipsarum coniunctionum ἵνα et ὥστε incipit tolli ; invenitur enim ὥστε cum evidente sensu finali, et ἵνα cum evidente sensu consecutivo. Ad prius habes exemplum Lc 4, 29 « (Nazarethani) duxerunt illum usque ad supercilium montis . . . ut praecipitarent eum » ὥστε κατακρημνίσαι αὐτόν (cf. Lc 9, 52 ; Mt 27, 1 et fortasse Mt 24, 24 secundum interpretationem Marci 13, 22) ; ad alterum vide Io 9, 2 « Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes

eius, ut caecus nasceretur » ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ. Alia exempla pro ἵνα consecutivo vide 1 Th 5, 4 ; 1 C 5, 2 ; 9, 24 ; 2 C 1, 17 ; Io 6, 7 ; 11, 37 ? ; G 5, 17 ; 1 Io 1, 9 ; Apc 13, 13. 15. Hinc in lingua hellenistica ultimatim ex solo contextu dirimi potest, agaturne de consecutione an de finalitate.

247. Res pro exegesi alicuius momenti est e. g. R 11, 11 μὴ ἔπταισαν ἵνα πέσωσιν, ubi ἵνα potest quidem intellegi finaliter, sed etiam consecutive et a Vg revera ita sumitur, vertit enim : « Numquid s i c offenderunt ut caderent (scl. plene et definitive) ? Absit ». — Lc 9, 45 Dominus praedixerat passionem suam, discipuli autem non intellexerunt « verbum istud et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud ». Recte Vg innuit meram consecutionem (« ut non »), dum textus graecus ἵνα μὴ αἴσθωνται αὐτό ansam praebere posset suspicandi ideam divinae ordinationis. — Utique hic monendum est, ne ad sensum consecutivum coniunctionis ἵνα confugiatur, tantummodo ut evitetur (apparens) difficultas theologica, quae oriri potest ex sensu finali. Hoc vel ipsi S. Chrysostomo accidit, qui ad R 5, 20 « lex autem subintravit u t abundaret delictum » (ἵ ν α πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα) adnotat : τὸ δὲ ἵνα ἐνταῦθα οὐκ αἰτιολογίας πάλιν ἀλλ' ἐκβάσεώς ἐστιν « ἵνα autem hic non est finale sed consecutivum ('ecbaticum') » (1).

7) De optativo

248. In lingua hellenistica et biblica optativus valde recedit.

249. *a*) Optativus qui **desiderium** exprimit, in NT habet adhuc 38 exempla ex quibus 29 apud Paulum (sola formula μὴ γένοιτο decies quinquies). Ceterum subintrat imperativus, circumlocutio cum βούλομαι, θέλω et semel ὄφελον cum futuro de desiderio (non serio) possibilis impletionis G 5, 12 (2).

---

(1) *PG* 60, 878 ; cf. etiam 59, 307.

(2) Desiderium quod iam non posse impleri aestimatur, hellenistice redditur per p a r t i c u l a m ὄφελον (classice forma verbalis est ὤφελον cum Infinitivo) cum indicativo (irreali !) imperfecti vel aoristi e. g. ὄφελον ἀνείχεσθέ μου « utinam sustineretis me » 2 C 11, 1 ; ὄφελον ἐβασιλεύσατε « utinam regno potiti essetis » 1 C 4, 8.

250. *b*) Optativus **potentialis** seu modestae assertionis in lingua populari non iam est. Solus Lucas isque plerumque cum evidenti intentione litteraria eum adhibet, e. g. ubi Paulum ante Agrippam facit dicentem εὐξαίμην ἄν A 26, 29; vel coram Felice εἴ τι ἔχοιεν πρὸς ἐμέ A 24, 19; vel ubi in ore Atheniensium ponit illud τί ἂν θέλοι οὗτος λέγειν A 17, 18. Loco huius optativi saepe subintrat futurum e. g. πῶς κρινεῖ ὁ θεὸς τὸν κόσμον R 3, 6; ἐρεῖ τις 1 C 15, 35, vel imperfectum A 25, 22 ἐβουλόμην loco βουλοίμην ἄν; R 9, 3 ηὐχόμην; G 4, 20 ἤθελον. De optativo potentiali in condicionibus vide **228**.

251. *c*) de optativo obliquo vide **241**.

252. *d*) Optativus quo classice in propositionibus secundariis **iteratio** indicabatur non iam est in usu. Loco huius optativi iterativi in NT habemus mirum modum exprimendi iterationem in praeterito per ἄν cum indicativo praeteriti e. g. Mc 6, 56 b ὅσοι ἂν ἥψαντο ἐσῴζοντο. Similiter Mc 3, 11; 6, 56 a; 15, 6 (D); A 2, 45; 4, 35; 1 C 12, 2. Hic usus fortasse explicatur tamquam extensio quaedam typi universalitatis in condicionalibus (ἄν cum coniunctivo praesentis) ad praeteritum, ubi necessario indicativus debuit adhiberi, utpote qui solus rationem habet temporalem.

XI. AD PARTICIPIUM

Usus participii in NT non caret influxu idiomatis semitici. Huc pertinet :

253. *a*) **Contructio periphrastica** quae dicitur. Consistit in eo, quod loco simplicis formae verbalis adhibetur periphrasis per εἶναι (1) cum participio. Hic usus in lingua hellenistica crescit ex generali tendentia linguae ad maiorem expressivitatem. E. g. ἑστὼς ἐπὶ τοῦ βήματος Καίσαρός εἰμι (A 25, 10) rem multo fortius et vivacius exprimit quam simplex ἕστηκα ἐ. τ. β. Καίσαρος. Sed etiam in loco non tam dramatico et rhetorico sentimus interdum vim specialem huiusmodi circumlocutionis. E. g. si de puero Iesu legimus : ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς, hoc participium praesentis certo efficacius effert cotidianam illam et ininterruptam sui ipsius subiectionem, quam simplex imperfectum ὑπετάσσετο vel adiectivum ἦν ὑπήκοος vel etiam illud Vulgatae « et erat subditus illis » (Lc 2, 51).

254. In NT imprimis circumscriptio i m p e r f e c t i tam frequens est ut vix aliter ac influxu aramaico explicari possit. Usus constructionis periphrasticae in NT ita distributus est, ut ex totali numero plus quam 50 % inveniantur in solis scriptis Lucanis. Etiam si circumscriptionem solius imperfecti consideramus, Lc longe prae ceteris eminet. Evangelium habet circa 30 exempla, Actus circa 24 et quidem ita ut 17 exempla in Actuum parte priori palaestinensi inveniantur et in parte altera (cc. 13-28) tantummodo 7 (Moulton). Hoc videtur suadere usum hunc aramaizantem potius fontibus quam ipsi auctori adscribendum esse. At contra militat observatio, quam effert Howard (p. 451), secundum quam Lucas hanc constructionem, quamquam frequentissimam in sectionibus sibi propriis, e v i t a t ,

(1) Semel occurrit vel cum ὑπάρχειν (helleniste frequens pro εἶναι) Lc 23, 12 ὑπῆρχον γὰρ (scl. Herodes et Pilatus) ἐν ἔχθρᾳ ὄντες « fuerant (**214**) enim inimici ». Alius casus mirus est in eodem capite 23, 19 : ἦν (scl. Barabbas) . . . βληθεὶς ἐν τῇ φυλακῇ « erat . . . missus in carcerem ».

ubi eam apud Marcum invenit, et tamen eam adhibet etiam in locis quos cum Mc parallelos habet, ubi tamen Mc ea n o n utitur.

255. Unicus casus, ubi haec constructio serio exegesim spectat, est Io 1, 9: ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Hic enim iure quaestio movetur, utrum ἐρχόμενον referendum sit ad τὸ φῶς, sicut in interpunctione modo adoptata (MERK, NESTLE), an sicut Vulgata habet, ad ἄνθρωπον, aliis verbis, utrum ἦν . . . ἐρχόμενον sit constructio periphrastica pro simplici ἤρχετο an non. Constructio haec apud Ioannem non est inaudita, occurrit enim apud eum in novem locis (1), notant tamen auctores, apud Ioannem ἦν fere semper habere vim plus minus independentem, e. g. 1, 28 « in Bethania ὅπου ἦν ὁ Ἰωάννης βαπτίζων » non tam esset « ubi Ioannes baptizabat », sed potius « ubi Ioannes e r a t et baptizabat ». — Quodsi efferunt in illo loco (Io 1, 9) nimiam distantiam inter ἦν et ἐρχόμενον (intercedunt 8 vocabula), fortasse comparare licet Lc 23, 19 ὅστις ἦ ν διὰ στάσιν τινα γενομένην ἐν τῇ πόλει καὶ φόνον β λ η θ ε ὶ ς ἐν τῇ φυλακῇ et Act 19, 14: ἦ σ α ν δέ τινος Σκευᾶ Ἰουδαίου ἀρχιερέως ἑπτὰ υἱοὶ τοῦτο π ο ι ο ῦ ν τ ε ς.

256. *b*) **Participia graphica** quae dicuntur sunt ea quae actionem aliquam plenius describunt efferendo explicite actionem praecedentem vel concomitantem, quae tamen plerumque ex natura rei intellegitur et ideo omitti potuit. Saepissime agitur de motu vel positione **corporis**. Ita secundum modum loquendi Semitarum, qui alibi aliquid facit, id ἀπελθών facit (Mc 14, 12); qui abit, fere necessario ἀναστάς, ἐγερθείς, πορευθείς abit (hebraice: *wajjaqom wajjabo'*); qui interrogat, προσελθών, προσεχόμενος interrogat; qui sollemniter docet ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ docet (2); qui tangit, extendens manum suam tangit; qui docet, scribit, computat, iudicat, haec omnia dicitur καθίσας facere; qui dat, sumens (λαβών) dat; qui videt, sublatis oculis (ἀναβέψας) videt (Lc 21, 1); fortasse etiam: qui per alium aliquid facit ἀποστείλας facit (3); tandem apostoli iubentur ire et σταθέντες loqui in templo (A 5, 20).

---

(1) 1, 9. 28; 3, 23 (= 10, 40); 2, 6; 11, 1; 13, 23; 18, 25. 30.
(2) Mt 5, 2; (13, 35); A 8, 35; 10, 34; (18, 14).
(3) Mt 2, 16 ἀποστείλας ἀνεῖλεν iussit interfici; Mc 6, 17; A 7, 14; Apc 1, 1.

256a. Generatim notetur : « participia graphica » idioma semiticum sapiunt solummodo quatenus modo semitico actionem, quae ex natura rei solet aliam actionem praecedere vel concomitari, explicite exhibent, non autem in quantum sunt *participia*. Haec subordinatio *participialis* est modus omnino *graecus* (a lingua semitica plane alienus) reddendi semiticam coordinationem duorum verborum finitorum.

257. Ex communiter contingentibus haec participia descriptiva evaserunt quasi formulae fixae quae igitur non premendae sunt. Ideo e. g. perperam praedicatores interdum superbiam pharisaei expressam vident in illo σταθεὶς... προσεύχετο Lc 18, 11, quasi in conspectu omnium se « plantaverit ». Etiam publicanus ἑστώς orat (utique μακρόθεν), quia aliter ac stantes Iudaei vix orabant. — Hinc etiam est, ut ἑστώς interdum vix quicquam aliud quam praesentiam in loco indicet e. g. Io 3, 29 ; 6, 22 ; 18, 18. 25 ; A 1, 11 ; 5, 25.

258. Similiter frequentissimum huiusmodi pleonastici participii exemplum, scl. ἀποκριθεὶς εἶπεν, quasi formula fixa evasit et ideo interdum etiam ibi adhibetur ubi nil antecedit, cui « respondeatur » (1), non aliter ac subiacens formula hebraica *wajja'an wajjo'mer*, cui aramaice aequivalet asyndeticum *'anah we'amar*.

259. In usu huius frequentissimae formulae merito notata est differentia inter synopticos et Ioannem. Illi enim formulam hebraicam (LXX) sequuntur, ponentes tamen magis graece primum verbum (respondere) in participio (ἀποκριθείς), Ioannes autem, participium numquam adhibens et plerumque formulam asyndetice introducens, videtur arcte reddere formulam aramaicam. Ceterum etiam alia participia redundantia, apud synopticos tam frequentia sicut ἐλθών, ἀπελθών, ἀφείς, ἀναστάς etc., desunt in quarto evangelio. Ioannes semitice *coordinat*, e. g. 7, 37 εἱστήκει καὶ ἔκραξεν ; cf. 9, 8 καθήμενος καὶ προσαιτῶν; 11, 29 ἐγείρεται καὶ ἔρχεται ; 12, 44 ἔκραξεν καὶ εἶπεν; 13, 26 « et cum intinxisset panem λαμβάνει (quamvis iam intinxerit !) καὶ δίδωσιν Ἰούδᾳ.

260. *c*) Post verba dicendi, interrogandi, respondendi, sed etiam deliberandi (Lc 5, 21 ; 12, 17), cogitandi, scribendi (Lc 1, 63) oratio

(1) Cf. Mc 9, 5 ; 11, 14 ; 12, 35 ; Mt 11, 25 ; 12, 38 ; 17, 4 ; 28, 5 (Howard, p. 453).

hebraice introduci solet infinitivo *le'mor*, qui gerundivo (« dicendo ») vel participio (« dicens ») aequivalet et a LXX redditur λέγων. Hinc magna frequentia eiusdem modi dicendi etiam in NT (cf. **277**).

Indoles stereotypa huius participii λέγων speciali modo conspicua est, si participium et verbum finitum sunt eiusdem verbi λέγειν: εἶπεν ... λέγων Lc 7, 39; (12, 16; 15, 3); 20, 2.

261. *d*) In citationibus ex LXX invenitur etiam participium quo redditur hebraeorum **infinitivus absolutus** ad corroborandum emphatice verbum finitum, e. gr. ἰδὼν εἶδεν (A 7, 34 = Ex 3, 7), εὐλογῶν εὐλογήσω σε καὶ πληθύνων πληθυνῶ σε (H 6, 14 = Gen 22, 16 s); vel Mt 13, 14 = Is 6, 9, ubi uterque modus exprimendi hebraicum infinitivum absolutum parallelo modo ponitur, dativus scl. « internus » (**44** s) et participium: ἀκοῇ ἀκούσετε... καὶ βλέποντες βλέψετε.

262. Notandum tamen est in omnibus quae modo memoravimus vix esse quicquam, quod non etiam in graecitate antiqua inde ab Homero, sua habeat exempla parallela. Hoc autem non impedit, quominus in his quoque phaenomenis, et imprimis in eorum frequentia, auctorum vel saltem fontium eorum indolem sapiamus semiticam.

263. *e*) Interdum **participium praesentis** habetur, ubi aliud tempus exspectaveris. Ita e. g. Ioannes Baptista etiam post mortem dicitur ὁ βαπτίζων, vel daemoniacus Gerasenus etiam post sanationem suam dicitur praeter ὁ δαιμονισθείς et ὁ ἐσχηκὼς τὸν λεγιῶνα etiam bis simpliciter ὁ δαιμονιζόμενος (Mc 5, 15. 18), ubi evidenter idea actionis recedit et participium quasi nomen (proprium) evadit: homo qui in tota regione notus erat et appellabatur ὁ δαιμονιζόμενος. Cf. H 7, 9 Levi ὁ λαμβάνων δεκάτας; Ph 3, 6 Paulus διώκων τὴν ἐκκλησίαν.

264. Similiter interdum apud Paulum participium praesentis fortasse non debet premi, quamvis — et quidem cum utilitate — premi possit. E. g. 1 Th 1, 10 Iesus dicitur ὁ ῥυόμενος ἡμᾶς ἐκ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης, quod Vg reddit « qui eripuit nos », quod tamen aequo iure verti potest « qui eripiet nos » (cf. **207 s**) et « qui semper eripit nos ». 1 Th 2, 12 (5, 24) Deus dicitur ὁ καλῶν ὑμᾶς εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν. Vg iterum habet « qui vocavit vos » et recte, quatenus Deus vocatione sua nobis factus est semel pro semper « vocator ». Sed praesens, si urgetur, gravissimam potest addere significationem: Deus enim intellegi potest tam-

quam ille qui s e m p e r vocat, qui in omnibus audiatur oportet. Similis connotatio inveniri potest ubi Deus dicitur ὁ δ ι δ ο ὑ ς (Vg «qui d e d i t») τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον (1 Th 4, 8). Auctores hic recte loquuntur de participio (praesentis) «atemporaliter characterizante»; cf. etiam ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός Io 1, 18; ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ 3, 13 (l. v.); «agnus Dei ὁ αἴρων peccata mundi» 1, 29. — In textibus semitizantibus accedit quod participium hebraicum, utpote atemporale, respicere potest praeteritum vel praesens vel futurum.

265. *f*) Participium apud Petrum et Paulum videtur adhiberi **in sensu imperativi**, e. g. R 12, 9-19 ubi sine verbo finito exhortationes fiunt septemdecim participiis: ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρόν, κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ..., quorum prima decem intermixta sunt duobus adiectivis: εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι... τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί. Haec series participiorum deinde excipitur tribus imperativis v. 14 εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας ὑμᾶς... et duobus infinitivis: χαίρειν μετὰ χαιρόντων..., tandem prosequuntur septem participia intermixta cum duobus imperativis. Cf. etiam 1 P 2, 12. 18; 3, 1. 7. 9. 15 s. Adiectiva et participia requirerent ut subintellegatur ἐστέ (forma verbalis quae miro modo in NT numquam occurrit) et ita sumpta participia illa essent totidem constructiones periphrasticae. Ceterum notandum est, participium cum non sit modus (sed potius adiectivum), ex alio et alio contextu aliam et aliam assumere modalitatem, in exhortationibus igitur etiam modalitatem imperativi. (De probabili quodam nexu huius modi dicendi cum idiomate semitico cf. Joüon, *Grammaire de l'Hébreu Biblique* § 121*e* nota 2).

265a. Huic usui affinis est quod Paulus post verbum finitum coordinando prosequitur participiis idque mira cum frequentia in secunda ad Corinthios: e. g. 2 C 5, 12 «non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem *dantes* (loco: damus) vobis gloriandi pro nobis» et similiter 6, 3; 7, 5; 8, 19; 9, 11. 13; 10, 4. 15(bis); 11, 6.

265b. Similis sed oppositus est usus continuandi post participium cum καί et verbo finito, imprimis in Apc e. g. 2, 2 ... τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς ἀποστόλους καὶ οὐκ εἰσίν, item 2, 9. 20; 3, 7. 9 etc.; similiter Io 5, 44; 2 Io 2 διὰ τὴν ἀλήθειαν τὴν μένουσαν ἐν ἡμῖν καὶ μεθ' ἡμῶν ἔσται. Cf. etiam Mt 13, 22; Lc 5, 18; 8, 12. 14; Io 1, 32; 1 C 7, 37; 2 C 6, 9; C 1, 26 (Bonaccorsi).

265ᶜ. Hinc inde admirationem movet et forsan interdum etiam exegeticam difficultatem facit, quod idea p r i n c i p a l i s participio subordinatur verbo quo solum c i r c u m s t a n t i a aliqua secundaria redditur, e. g. Mc 2, 23 « . . . et discipuli coeperunt viam facere vellentes spicas », ubi exspectaveris : « coeperunt viam facientes spicas vellere ». KLOSTERMANN suspicatur subiacentem parataxim (viam facere et vellere) parum apte redditam esse (« *ungeschickte Wiedergabe einer aram. Parataxe* »). Cfr **312ᵇ**, et pro simili phaenomeno in alta Graecitate **196ᵃ**.

XII. AD INFINITIVUM

Usus hellenisticus infinitivi, si cum usu classico comparatur, sat magnas subiit mutationes. Una ex parte crescit, altera ex parte decrescit.

266. *a*) **Decrescit** usus infinitivi et quidem valde, quatenus eius loco subintrant coniunctiones ἵνα (**286-88**) et ὅτι. Haec ultima coniunctio post verba dicendi et percipiendi frequentius quam classice adhibetur (confer in latinitate posteriore « quod », « quoniam » loco accusativi cum infinitivo) et insuper contra usum classicum etiam post verba o p i n a n d i stare potest (ubi classice solus infinitivus usurpatur).

b) Altera ex parte **crescit** usus infinitivi

267. α) quatenus p o s t v e r b a m o t u s ad scopum indicandum infinitivus subintrat loco classici participii futuri (cf. **207 s**) e. g. οὐκ ἦλθεν διακονηθῆναι ἀλλὰ διακονῆσαι Mt 20, 28 ;

268. β) quatenus **infinitivus cum articulo** in altiore lingua hellenistica valde extenditur. Haec evolutio in NT ex parte saltem videtur augeri ex coincidentia cum frequentissimo usu infinitivi cum praepositionibus in idiomate semitico.

269. Frequentia sua excellit **infinitivus cum** τοῦ et quidem non tam dependenter ab aliquo substantivo (e. g. ὁ χρόνος τοῦ τεκεῖν αὐτήν Lc 1, 57) quam potius independenter a tali substantivo ad significandam scl. finalitatem vel consecutionem e. g. finaliter : « Herodes quaeret puerum τ ο ῦ ἀ π ο λ έ σ α ι αὐτό » Mt 2, 13 vel consecutive : « nec paenituit vos postea ita ut crederetis ei (τοῦ πιστεῦσαι αὐτῷ) » Mt 21, 32 ; cf. A 7, 19 ; 20, 20.

270. Idem hic infinitivus consecutivus cum τοῦ invenitur etiam apud substantiva idque cum maiori vel minori independentia ab eis

e. g. « dedit illis Deus ... ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν = oculos tales ut non videant ... » R 11, 8 = LXX; vel « videns quia haberet πίστιν τοῦ σωθῆναι = fidem ita ut salvari posset » A 14, 9. (Paulus autem talem consecutionem vel finalitatem exprimere solet cum praepositionibus εἰς τό et πρὸς τό).

271. Si huiusmodi **plures infinitivi** (consecutivi vel finales) sibi subsequuntur Lucas amat secundo (et tertio) infinitivo addere τοῦ, cum primus hoc articulo careat. Ita bis in hymno « Benedictus »: Lc 1, 77 « praeibis ante faciem Domini ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ, τοῦ δοῦναι γνῶσιν parare vias eius (scl. ?) ad dandam scientiam » et iterum: « visitavit nos oriens ex alto ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει ... τοῦ κατευθῦναι τοὺς πόδας ἡμῶν 1, 78 s. Fortasse etiam 1, 73b illud τοῦ δοῦναι ἡμῖν intellegendum est tamquam membrum coordinatum cum antecedentibus infinitivis ποιῆσαι ἔλεος ... καὶ μνησθῆναι in oppositione ad Vulgatam quae τοῦ δοῦναι dependere facit ab « iusiurandum quod iuravit » et vertit « daturum se nobis ».

272. Praedilectio lucana pro illo τοῦ apud infinitivum (in Ev. vicies, in A decies septies) eo usque procedit, ut a Luca (et interdum a Iacobo) etiam pure pleonastice infinitivo anteponatur, e. g. apud infinitivum completivum Lc 4, 10 = LXX « angelis suis mandavit de te τοῦ διαφυλάξαι σε; vel 5, 7 καὶ κατένευσαν τοῖς μετόχοις... τοῦ συλλαβέσθαι αὐτοῖς (cf. etiam A 3, 12; 15, 20; 21, 12 etc.); immo invenitur post ἐγένετο A 10, 25: ὡς δὲ ἐγένετο τοῦ εἰσελθεῖν τὸν Πέτρον.

273. Ex variis usibus infinitivi post praepositiones mentionem meretur **usus temporalis infinitivi cum ἐν τῷ.** Quamvis enim phrasis ἐν τῷ cum infinitivo sit omnino graeca, usus eius *temporalis* non est classicus sed hebraicus. Et quia non simul aramaicus est, frequentia eius, imprimis apud Lc, influxui LXX adscribenda est (circa 30ies in Evangelio, raro in A: 2, 1; 8, 6; 9, 3; 11, 15; 19, 1).

274. Id confirmatur etiam ex eo, quod hic usus speciali cum frequentia (circa vicies) simul cum alio septuagintismo admodum lucano occurrit scl. cum formula introductoria καὶ ἐγένετο cum verbo finito (constructio LXX) e. g. Lc 2, 6 ἐγένετο δὲ ἐν τῷ εἶναι αὐτοὺς ἐκεῖ ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι.

275. Et sicut constructio hebraizans [1] huius formulae lucanae (ἐγένετο cum [καὶ et] verbo finito) in E v a n g e l i o est frequentissima, cum in A c t i b u s habeatur eiusdem formulae constructio graeca (ἐγένετο cum infinitivo), ita etiam adiecta determinatio temporis in Evangelio plerumque exprimitur hebraico illo ἐν τῷ cum infinitivo, cum haec formula, saltem simul cum ἐγένετο in Actibus semel tantum occurrat (19, 1). In hoc habes certum fere indicium volitae imitationis LXX in Evangelio. — Alia indicia talis imitationis vide **150** et **324**.

276. Si ἐν τῷ cum infinitivo temporaliter adhibetur, infinitivus p r a e s e n t i s dicit contemporaneitatem, infinitivus aoristi fere semper anterioritatem (cf. quae dicta sunt de participio aoristi **195**) e. g. ἐν τῷ π ρ ο σ ε ύ χ ε σ θ α ι αὐτὸν « orante eo » Lc 9, 29, sed ἐγένετο ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς οἶκον = « cum i n t r a v i s s e t in domum » ; fortasse non ita : Lc 3, 21 ; 9, 34.

277. Π ρ ὸ ς τό c u m i n f i n i t i v o solet quidem indicare finalitatem, sed iure merito dubium movetur relate ad Mt 5, 28 ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτήν, ubi omnino exspectaveris sensum « concupiscendo eam » non autem « ad concupiscendum eam ». Et ille sensus de facto teneri potest, dummodo illud πρὸς τό intellega-

---

(1) In formula lucana ἐγένετο triplicem distingue constructionem :
1) ἐγένετο cum verbo finito sine καί (constructio versionis LXX quae saepissime omittit illud καί in hebraico necessarium) e. g. Lc 2, 6 ἐγένετο... ἐπλήσθησαν.
2) ἐγένετο cum καὶ et verbo finito (constructio « hebraica ») e. g. ἐγένετο ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας... κ α ὶ αὐτὸς... ἐστήρισεν... Lc 9, 51.
3) ἐγένετο cum infinitivo (constructio « graeca ») e. g. A 16, 16 ἐγένετο δὲ πορευομένων ἡμῶν... παιδίσκην τινὰ ὑπαντῆσαι ἡμῖν. Distributio harum constructionum in Evangelio et Actibus est admodum instructiva. Idem auctor enim eandem suam formulam praedilectam in Evangelio construit vicies bis ad modum LXX, undecies « hebraice », quinquies tantummodo « graece », in Actibus autem decies quinquies « graece » nec umquam sive ad modum LXX sive « hebraice ». — Nota hanc formulam (ad modum LXX) apud Mt, praeter 9, 10, occurrere quinquies quidem, sed, ut ita dicam, in loco fixo tantummodo, scl. ad concludendos quinque magnos sermones quibus evangelium Matthaei quasi disponitur : 7, 28 ; 11, 1 ; 13, 53 ; 19, 1 ; 26, 1 : καὶ ἐγένετο ὅτε ἐτέλεσεν Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους (sequitur verbum finitum).

tur tamquam servilis versio alicuius semitici (hebraici vel aramaici) *lᵉ* cum infinitivo, quod per se quidem et ipsum indicat directionem alicuius motus et ideo finalitatem et consecutionem, ita tamen ut interdum, sine tali connotatione, **simplici gerundivo** aequivaleat. Exemplum classicum huius est frequentissimum illud hebraicum *lē 'mōr* quo sescenties, etiam post verba dicendi, oratio directa introducitur. Per se significat « ad dicendum », adhibetur autem pro simplici gerundivo « dicendo » vel « dicens ». Unde in NT magna frequentia illius λέγων vel λέγοντες (cf. **260**).

278. Iuvat igitur in textibus semitizantibus prae oculis habere hanc possibilitatem r e d d e n d i i n f i n i t i v u m (cum vel sine τοῦ, εἰς, πρός) p e r g e r u n d i v u m vel participium. Ideo e. g. Joüon [1] in hymno « Benedictus » recte vertit infinitivos ποιῆσαι ἔλεος et μνησθῆναι participiis « faciens misericordiam . . . et recordatus testamenti sui » Lc 1, 72. Similiter in « Magnificat » Lc 1, 54 « suscepit Israel recordatus (μνησθῆναι) misericordiae suae ». Huc trahe Mt 21, 32 (cf. **269**) ; A 7, 19 (?) ; 15, 10 : « quid tentatis Deum ἐπιθεῖναι ζυγόν = *imponendo* iugum super cervices . . . » (cf. Ps 77, 18) ; G 3, 10 ; Ph 3, 10 (?).

279. Subiectum infinitivi accusativo exprimitur. Si tamen propter identitatem cum subiecto verbi regentis non explicite ponitur, (mentaliter) suppletur i n n o m i n a t i v o. Ideo praedicatum aliquod nominale apud infinitivum p o t e s t, alia determinatio subiecti subintellegendi d e b e t semper in nominativo poni (non sicut exspectaveris in accusativo) e. g. R 1, 22 φάσκοντες εἶναι σ ο φ ο ί (aliter cum subiecto e x p r e s s o, e. g. A 5, 36 Θευδᾶς λέγων εἶναί τ ι ν α ἑαυτόν). Vel cum appositione : ηὐχόμην ἀνάθεμα εἶναι α ὐ τ ὸ ς ἐ γ ώ R 9, 3. Haec lex classica notatu digna est, ne quis aliquem nominativum ad verbum principale referat, cum ad infinitivum pertineat. E. g. Lc 1, 9 s habet (Ζαχαρίας) ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι ε ἰ σ ε λ θ ὼ ν εἰς τὸν ναόν, ubi εἰσελθών potest et debet referri ad infinitivum θυμιᾶσαι, non ad verbum principale ἔλαχεν.

279a. Si vero subiectum infinitivi non coincidit cum subiecto propositionis principalis sed cum aliquo eius complemento, appositio concordat cum illo vel stat in accusativo e. g. A 26, 20 ἀπήγγελλον τ ο ῖ ς

(1) *L'Evangile de Notre-Seigneur Jésus-Christ, Verbum Salutis V.*

ἔ θ ν ε σ ι ν μετανοεῖν ... ἄξια ... ἔργα π ρ ά σ σ ο ν τ α ς) (quod posset esse πράσσουσιν; cf. 15, 22; vel « melius est *tibi* (σοι) ad vitam ingredi ... *claudum* (χωλόν) quam duas manus *habentem* (ἔχοντα) mitti in ignem aeternum; cf. Lc 5, 7; Mc 6, 9 (ubi infinitivus per inadvertentiam supponitur); R 1, 29.

279ᵇ. Nec subiectum nec obiectum infinitivi exprimi debet si coincidit cum subiecto obiectove verbi principalis. In hac lege innixus FRIDRICHSEN proposuit optimam interpretationem difficilis illius dicti Agrippae regis A 26, 28: ἐν ὀλίγῳ με πείθεις χριστιανὸν ποιῆσαι, aequiparando hanc formam formae pleniori quae esset ἐν ὀλίγῳ με πείθεις (σ ε α υ τ ὸ ν) χριστιανὸν ποιῆσαι (μ ε) « mihi vis persuadere te brevi tempore me fecisse christianum ». Et hanc explicationem confirmat afferrendo textum miro modo parallelum (ex XENOPHON, Mem. I, 2, 49): « Socrates, inquit accusator, docebat genitores ignominiose tractare πείθων μὲν τοὺς συνόντας αὑτῷ (ἑαυτὸν) σοφωτέρους ποιεῖν (αὐτούς) τῶν πατέρων « persuadens discipulis suis se eos genitoribus sapientiores facturum esse » (etiam hic subiectum et obiectum infinitivi recte omissa sunt) (*Coniectanea neot.* III [1938]).

XIII. DE CONIUNCTIONIBUS

1) de usu particulae εἰ

Praeter ea quae dicta sunt de εἰ in condicione reali (**217**), irreali (**229**), potentiali (**228**) haec particula in lingua biblica adhibetur etiam:

280. *a*) ut hebraismus in negatione emphatica, quae fit per modum iurisiurandi. Forma condicionalis explicatur ex supplenda aliqua imprecatione: « (Deus mihi hoc et hoc faciat) si ... » e. g. ἀμὴν λέγω ὑμῖν εἰ δοθήσεται ... i. e. « nullo pacto dabitur generationi isti signum » (Mc 8, 12); cf. Gen 14, 23; 1 Sam 3, 14. Hanc formulam etiam graece intellegi potuisse suggeritur a 3 Reg 1, 52 ubi textus graecus eam habet contra textum hebraicum: εἰ πεσεῖται: non cadet. — Εἰ igitur introducit iusiurandum negativum (« certe non »), correspondenter εἰ μή (*'im lo'*) positivum (deest in NT), e. g. 3 Reg 20, 23 ... ἐὰν δὲ πολεμήσωμεν αὐτοὺς in planitie, εἰ μὴ(ν) κραταιώσομεν ὑπὲρ αὐτούς « certe vincemus eos ».

281. *b*) ut particula interrogativa in interrogatione d i r e c t a e. g. Lc 13, 23 κύριε, εἰ ὀλίγοι οἱ σῳζόμενοι; cf. Mt 12, 10; Lc 22, 49; A 1, 6 etc., fortasse sub influxu hebraico, ubi *'im* (= εἰ), utique plerumque in interrogationibus disiunctivis, etiam directam introducit interrogationem (cf. Gen 17, 17 ubi sicut saepe parallelo modo particula interrogativa *ha* et *'im* occurrit). Hinc magna frequentia huius εἰ directe interrogantis in LXX. In lingua graeca tali usui recipiendo fortasse propitius erat usus, quo εἰ adhibebatur:

282. *c*) ut particula interrogativa in quaestionibus i n d i r e c t i s [1], et quidem

α) in veris interrogationibus e. g. Lc 23, 6 ἐπηρώτησεν εἰ ὁ ἄνθρωπος Γαλιλαῖός ἐστιν;

---

[1] Si hinc εἰ directe interrogantem explicare vis, fere dixeris de aliquo εἰ « recitativo », quod interrogationes directas introduceret non aliter ac ὅτι « recitativum » alias orationes directas.

283. β) in interrogationibus virtualibus ad exprimendam exspectationem incertam, quae comitatur conatum aliquem : e. g. Ph 3, 12 διώκω δὲ εἰ καὶ καταλάβω « sequor autem (tentans) si quomodo comprehendam » (ubi igitur subintellegendum videtur verbum aliquod tentandi) ; vel R 1, 10 « . . . obsecrans si quomodo . . . prosperum iter habeam » : δεόμενος εἴ πως εὐοδωθήσομαι. Cf. Mc 11, 13; A 8, 22; 17, 27 ; 20, 16 ; 27, 12 ; R 11, 14 etc. — In NT sequitur vel coniunctivus vel futurum (semel tantum classice optativus A 17, 27, nec umquam, sicut classice plerumque, habetur ἐάν cum coniunctivo) (1).

284. γ) fere aequivalens ὅτι post verba quae exprimunt animi commotionem (admirationem, indignationem) e. g. Mc 15, 44 ἐθαύμασεν εἰ ἤδη τέθνηκεν ; A 26, 8 « Quid incredibile iudicatur εἰ ὁ Θεὸς νεκροὺς ἐγείρει Deum mortuos resuscitare ».

285. Et cum omni hac varietate in usu particulae εἰ suspensi haeremus si apud Lc 12, 49 legimus καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη. Vg habet : « ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur ». In hac acceptissima versione hoc unum est certum, eam non reddere textum nostrum graecum, quem grammaticaliter rectius sed, ut videtur, contra contextum voluerunt reddere : « quid ultra desidero, si iam accensus est ». Alii conati sunt vertere exclamative « utinam iam accensus esset » (2); at desiderium inexplebile nusquam in lingua biblica exprimitur per εἰ, nec provocari potest ad Lc 19, 42 : Dominus super urbem : εἰ ἔγνως . . . , quia hic simplicem habemus condicionem irrealem, cuius apodosis supplenda est, e. g. « (quam contentus essem) si cognovisses . . . ». Plerique autem proxime accedentes ad sensum Vulgatae vertunt : « quantopere cupio iam accensum esse » asserentes εἰ posse introducere obiectum verbi θέλω, quam assertionem fulciunt unico exemplo biblico Sir 23, 14 θελήσεις εἰ μὴ ἐγενήθης et provocantes ad Herodotum 6, 52 ; 9, 44 (B. Weiss). Textûs nostri εἰ intraret igitur sub numero **284** et θέλω sumendum esset quasi ut « laetum, contentum esse » et mereret forsitan hoc sensu locum sibi proprium in dictionariis nostris.

---

(1) Quia classice in talibus casibus habetur ἐάν (non tantum εἰ), alii has propositiones inter condicionales tractant (Debr. 375).

(2) vident in τί θέλω εἰ aequivalens formulae rabbinicae pro utinam.

2) De usu coniunctionis ἵνα

286. *a*) **Ἵνα loco infinitivi.** Via qua ἵνα amittebat vim suam finalem est haec : originarie ἵνα solam introduxit propositionem stricte finalem (quae non est oratio « completiva »), quae scl. exhibet m o t i v u m non obiectum alicuius actionis, germanice « damit », italice « affinchè », gallice « afin », anglice « in order that ». Deinde coepit magis magisque subintrare pro infinitivo finali illo, qui est oratio « completiva », non motivum actionis exhibens, sed obiectum, respondens quaerenti « quid ? » non « cur ? », id quod etiam in multis linguis modernis infinitivo exprimitur, e. g. ἠρώτησεν αὐτὸν ἀπελθεῖν: « er bat ihn wegzugehen » (non « damit » er weggehe) ; « gli domandò di andarsene » (non « affinchè se ne andasse »).

287. Hellenistice autem loco huius infinitivi increbrescit ἵνα: ἠρώτησεν αὐτόν, ἵνα ἀπέλθῃ. Hinc ἵνα incipit subintrare pro fere q u o l i b e t alio infinitivo, ita ut in graeco moderno infinitivus non iam exsistat, sed semper reddatur per νά (= ἵνα) cum coniunctivo. Huius evolutionis in NT plurima sunt vestigia.

288. Ita ἵνα stat pro infinitivo **completivo** idque non solum pro illo qui est obiectum verbi post verba rogandi, imperandi (ubi etiam ὅπως usu venit : Lc 7, 3 ; 10, 2; 11, 37), sed etiam pro illo infinitivo completivo, qui est subiectum e. g. συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω Io 16, 7 loco ἀπελθεῖν με (quod est subiectum ad συμφέρει); cf. 1 C 9, 18 « quae est ergo merces mea : ἵνα . . . ἀδάπανον θήσω τὸ εὐαγγέλιον ».

289. Ad ἵνα pro infinitivo c o n s e c u t i v o vide supra **245** ss.

290. Tandem ἵνα subintrat pro infinitivo **epexegetico** e. g. « haec est vita aeterna, ut cognoscant te ἵνα γινώσκωσιν . . . » (Io 17, 3) ; et ita imprimis apud Ioannem, ubi plerumque explicatur (ideo inf. « epexegeticus ») antecedens pronomen demonstrativum, cf. 15, 8 « in h o c clarificatur Pater meus, u t (ἵνα) fructum . . . afferatis », 15, 12 « h o c est praeceptum meum, u t diligatis invicem ». Quod si quis in his exemplis voluerit suspicari maiorem vel minorem sensum finalem, omnis umbra huiusmodi sensus finalis certo deest Io 15, 13 « maiorem hac dilectione nemo habet, ut animam suam ponat quis

pro amicis suis (ἵνα τις . . . θῇ . . .)»; et maxime in casu quasi extremo, in illo cognatae Elisabeth Lc 1, 43: «et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me (ἵνα ἔλθῃ)» ubi vel de aliquo facto praeterito agitur et ideo secundum DEBRUNNER (394) ἵνα «etwas inkorrekt» adhibetur. Infinitivus enim, qui aliquod factum praeteritum reddat, videtur esse unicus, in cuius locum ἵνα non potest subintrare.

290a. Etiam **dependens a substantivo** invenitur ἵνα, ut videtur, loco infinitivi (declinati in genitivo) e. g. Io 12, 23 ἐλήλυθεν ἡ ὥρα ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου cf. **305**; 18, 39 ἔστιν συνήθεια (consuetudo) ὑμῖν ἵνα ἕνα ἀπολύσω; 1 C, 9, 18.

291. *b*) **Ἵνα causale.** Quantopere ἵνα ab originali suo sensu finali in cursu evolutionis deviaverit ex eo elucet, quod temporibus posterioribus certo adhibebatur etiam sensu causali et quidem non in uno tantum alterove exemplo, sed ita ut vel grammatici antiqui hunc usum explicite statuant e. g. APOLLONIUS DYSCOLUS (2 saec. p. C.): «haec particula (ἵνα) ut coniunctio duas habet acceptiones, alteram causalem (αἰτιολογικήν), alteram finalem (ἀποτελεστικήν)» Ut exemplum affert: ἵνα ἀναγνῶ, ἐτιμήθην, ἵνα λοιδορήσω, ἐπεπλήχθην «pro lectione honoratus sum, pro convicio vituperatus sum» (1). Revera inveniuntur exempla certa huius usus in litteratura patristica.

292. Controvertitur autem inter auctores, utrum ἵνα causale admittendum sit etiam in NT necne. Ansam principalem huic controversiae dedit textus ille difficultatis celebris de scopo parabolarum apud Mc 4, 12 «Illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, ut (ἵνα) 'videntes videant et non videant . . .'». In his verbis ut scopus parabolarum videtur indicari occaecatio et obduratio audientium, cui non bene congruit, quod apud ipsum Marcum sequitur v. 33 «et talibus parabolis loquebatur eis verbum prout poterant audire». Nulla difficultas habetur in textu parallelo Matthaei, quippe qui habeat 13, 13 «ideo in parabolis loquor eis quia (ὅτι causale!) videntes non vident et audientes non audiunt . . .». Hic igitur occaecatio non est scopus huius modi docendi sed eius ratio. Hinc quaeritur, possitne illud ἵνα Marci significare ὅτι «quia», ita ut Mc idem diceret ac Mt. Hoc fieri posse probare conatus est PERNOT (loco citato) afferens praeter testimonia grammaticorum et tarda exempla patristica

(1) Ed Schneider. 510, 17 (p. 243), cf. etiam 511, 30. Citatum desumpsi ex PERNOT, *Études sur la langue des Evangiles* (1927) p. 91 s ubi videsis plura de hoc problemate.

etiam ex ipso NT aliquos textus scl. Io 8, 56 « Abraham, pater vester, exultavit ut videret diem meum (ἵ ν α ἴδῃ...) », ubi vero ἵνα ab auctoribus censetur stare pro infinitivo ([1]). Textum parallelum afferunt ex papyris (BGU IV 1081 lin 3 ex saec. 2 vel 3 p. C.) ἐχάρην ἵνα σε ἀσπάζομαι et conferunt Pap. Giss. 17 lin. 5 ex saec. 2° ἠγωνίασα... ἵνα ἀκούσω « praeoccupatus eram . . . ut audirem ».

293. Ex Apc citatur 22, 14 et 14, 13, qui tamen et ipsi alias admittunt explicationes ([2]). Apc 22, 14 habet : « beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni ut (ἵνα) sit potestas eorum in ligno vitae et per portas intrent in civitatem ». Patet illud ἵνα non minus finaliter ad « lavant » referri posse (lavant . . . ut intrent) quam causaliter ad « beati » (beati . . . quia). Etiam Apc 14, 13 in quaestione est « beati . . . quia » : « Beati mortui, qui in Domino moriuntur, ναί, λέγει τὸ πνεῦμα, ἵνα ἀναπαήσονται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν » i. e. « ita sane, dicit spiritus, ut (= quia ?) requiescant a laboribus suis ». At hic ἵνα fortasse absolute adhibetur cum sensu imperativi : « requiescant in pace » ([3]) vide **294**.

294. *c*) **Ἵνα in exhortatione independente.** Ἵνα revera iam in NT interdum imperativo aequiparari ostenditur exemplis sicut E 5, 33 « unusquisque uxorem suam . . . diligat (ἀγαπάτω imperativus), uxor autem ἵ ν α φ ο β ῆ τ α ι τὸν ἄνδρα timeat virum suum » ; cf. 2 C 8, 7, fortasse etiam Mc 10, 51 ; 12, 19. Hoc posito etiam Mc 5, 23 non necessario habenda est contaminatio orationis directae (ἐπιθῇς)

([1]) Cf. Debr. 392, 1 a, qui putat sensum tantummodo esse posse « er begehrte mit Entzücken », « er freute sich, dass er . . . sehen sollte ».

([2]) Allo, *Apocalypse* (1933) p. clviii. Aux deux passages 6, 11 (lege 22, 14 !) et 14, 13 . . . ἵνα peut équivaloir à ὅτι (Bousset, Swete).

([3]) Quamvis ἵνα causale pro NT generatim ab auctoribus reiciatur notatu dignum est in recenti commentario (Göttingen 1937) Lohmeyer vertere illud ἵνα Mc 4, 12 cum « quia, weil » adnotando « ἵνα bedeutet in der Koine . . . auch, wenngleich seltener, ' weil ' », idque citando auctores qui huic opinioni contrarii sunt. Ad totam quaestionem cf. etiam Windisch, *Die Verstockungsidee in Mk 4, 12 und das causale ἵ ν α der späteren Koine* in *Z.ntl. Wiss.* 1927, et *Biblica* 17 (1936) 512 ss ubi U. Holzmeister (negative) recenset quae Fr. La Cava in duobus opusculis pro ἵνα causali attulit : *Ut videntes non videant* (1934 Marietti) 72 pp. et *Ne quando convertantur* (1935) 38 pp. Hic auctor ἵνα causale sibi videtur invenire etiam R 5, 20 ; 6, 1 ; 1 C 7, 34 ; 3 Io 8 ; 2 C 4, 7. Accedit 2 C 12, 9 in *La Scuola cattolica* (1937). Cf. etiam *Una lettera di Sant'Isidoro Pelusiota* in *Divus Thomas* (Piacenza, 1936) p. 529-533.

et indirectae (ἵνα), sed ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς τὰς χεῖρας αὐτῇ esset simpliciter : « veni et impone manus ei ». — Tandem etiam Mc 14, 49 verba Domini ad capientes eum : ἀλλ' ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαί non (sicut saepius in ore Matthaei evangelistae e. g. 26, 56 parall.) necessario elliptice intellegenda sunt, scl. « (hoc autem fit) ut impleantur scripturae », sed potest exprimere plenam Domini in voluntatem Patris deditionem : « agite, impleantur Scripturae ! ». — Restat notare in Graeco moderno loco imperativi passim inveniri νά (= ἵνα) cum coniunctivo.

3) ὅτι declarativum et causale

295. Ὅτι ut coniunctio duplicem habet usum. Alterum causalem, significans « quoniam », « quia », alterum « declarativum », si eum brevitatis causa ita liceat appellare, quo scl. aliquid ut factum introducitur, germanice « dass », et quidem plerumque « completive » scl. tamquam obiectum post verba dicendi, sentiendi (hellenistice etiam opinandi) etc. : e. g. οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς εἶ (Mc 12, 14), vel tamquam subiectum sicut G 3, 11 ὅτι δὲ ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται . . . δῆλόν (ἐστιν) (¹). Cum igitur eadem vox (ὅτι) hanc duplicem, sat diversam habeat vim, interdum dubium manere potest, utrum ὅτι causaliter an declarative sit intellegendum e. g. Lc 7, 39, ubi Simon pharisaeus videns peccatricem pedes Iesu osculantem dicit intra se : « hic si esset propheta, sciret utique, quae et qualis est mulier, quae tangit eum, quia (ὅτι) peccatrix est ». Hoc ultimum incisum aequo fere iure verti potest sive declarative dependenter a « sciret » : « sciret utique, . . . qualis est mulier . . . (scl.) eam peccatricem esse », sive causaliter « est enim peccatrix ». Similiter etiam Lc 1, 45 ; 2, 11.

296. Sunt qui voluerint hac ambiguitate coniunctionis ὅτι minuere difficultatem illam quam praebet Mt 2, 23 : « Et veniens habitavit in civitate . . . Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas, quoniam (ὅτι) Nazaraeus vocabitur ». Cum enim Messias vocetur quidem apud Isaiam (11, 1) *nēṣer* « flos de radice », nusquam

(¹) Si istud ὅτι praemittitur orationi *directae* aequivalet nostro puncto duplo (« : ») et dicitur ὅτι « recitativum » ; valde frequens apud Marcum et Ioannem, ideo fortasse sub influxu aramaico ubi *dī* (hebr. *kī*) eodem modo adhibetur. E. g. ὑμεῖς λέγετε ὅτι « βλασφημεῖς » Io 10, 36.

autem scriptum sit eum *nēṣer* vocatum iri, malunt illud ὅτι causaliter sumere et vertere « ut adimpleretur quod dictum est per prophetas eo quod (scl. apud Isaiam) *nēṣer* vocatur », (κληθήσεται esset versio servilis « futuri » semitici, quod sine negotio etiam de praesenti adhiberi potest). In hac igitur interpretatione « citatio » ex prophetis ad solam vocem *nēṣer* reduceretur. Ita Zahn, Harnack, Holzmeister.

296a. Utrumque ὅτι in eodem textu: G 3, 11 ὅτι δὲ ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται... δῆλον ὅτι ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται ubi quaeri potest utrum ex duobus ὅτι sit declarativum i. e. pendeat a δῆλον (ἐστιν) et utrum causale. Dicendum videtur alterum ὅτι esse causale utpote quod argumentum (rationem) affert textum Scripturae, qui demonstratione non indiget; ideo: « in lege neminem iustificari... patet *quia* (Scriptura dicit) iustus ex fide vivet ».

296b. Dura est exegetae haec ambiguitas in G 4, 6 ὅτι δέ ἐστε υἱοί, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν... Estne adoptio in filios Dei ratio cur Deus miserit spiritum (ὅτι causale), an est missio (et experientia) Spiritus clamantis 'Abba' argumentum quod probat nos esse filios (ὅτι declarativum)? Videtur omnino praeferenda haec altera interpretatio sed ex parte *linguae* res dirimi non potest.

297. Momento non caret distinctio quae haberi potest in ipso usu causali coniunctionis ὅτι. Plerumque quidem ὅτι causale indicat rationem cur antecedens sit, fiat, factum sit e. g. Io 5, 16 ἐδίωκον ... Ἰησοῦν, ὅτι ταῦτα ἐποίει ἐν σαββάτῳ; interdum autem indicat rationem, unde antecedens cognoscatur, vel cur interrogetur e. g. Mt 8, 27 (= Mc 4, 41) post tempestatem sedatam « homines mirati sunt dicentes: qualis est hic quia (ὅτι) venti et mare oboediunt ei? ». Ecce habes rationem non eius quod interrogatur, sed cur fiat ipsa interrogatio. Similiter saepius in S. Scriptura e. g. H 2, 6 (= Ps 8, 5 s): « Quid est homo, quod (ὅτι) memor es eius aut filius hominis quoniam (ὅτι) visitas eum? » cf. Lc 4, 36; 11, 18; 13, 2; Io 2, 18; 7, 35; 14, 22; Gen 20, 9; Iud 14, 3; 1 Sam 20, 1; 3 Reg 18, 9 (1).

---

(1) Sunt, qui in omnibus his exemplis agnoscant quoddam ὅτι consecutivum e. g. W. Bauer, *Griechisch-deutsches Wörterbuch* (1952) ad vocem 1, d, γ (col 980). F.-M. Abel, *Grammaire*... § 79 (p. 353):

298. Ratio unde aliquid c o g n o s c a t u r indicatur etiam in exemplis, quae frequentia sunt in familiari modo dicendi, ubi signum vel indicium, quo antecedens ostenditur verum esse, saepe tractatur sicut species quaedam causae e. g. si quis dicit: « mortuus est, quia non iam mentitur », vel « quia non iam respirat » vel « quia in medio aevo vixit » (melius diceretur: « vixit e n i m in medio aevo » ([1]).

299. Hic usus celebritatem nactus est in interpretatione textus illius, quo inde a Patribus demonstrare et illustrare solebant (et solent) caritatem perfectam habere vim remittendi peccata: de peccatrice enim Dominus dixerat: « remittuntur ei peccata multa, q u o n i a m (ὅτι) dilexit multum » Lc 7, 47. Textus in se videtur admodum evidens; at contextus insuperabilem fere creat difficultatem contra traditionalem huius dicti interpretationem. Dominus enim addit « cui autem minus dimittitur, minus diligit » explicite se referens ad parabolam, qua Simonem fecerat intellegere, plus diligere eum, cui plus donatum est. Hanc veritatem parabolâ de duobus debitoribus illustratam Dominus applicat ad amorem, quem peccatrix tam exuberanter manifestaverat. Postulatur igitur nexus logicus hic: sicut ille debitor, cui maiora debita remissa sunt, maiorem ostendet affectum gratitudinis et amoris (quam ille, cui parvum debitum remissum est), ita haec peccatrix ideo tantum manifestat amorem, quia ei plurima remissa sunt peccata. Aliis verbis: sensus qui a contextu postulatur (et ab ipso Domino in v. 47 b confirmatur) est: amat quia peccata remissa sunt, non: quia amat, peccata remittuntur. Et hic sensus revera enuntiatur, dummodo ὅτι sumatur in illa vi (causali) a t t e n u a t a qua exhibet signum, unde cognoscitur antecedens: « Multa peccata ei remissa sunt,

---

« ὅτι Hebr 2, 6; Mt 8, 27 ... présente un des sens de *ki* hébreu, sens consécutif, qui n'est pas contraire au génie grec ». At cum omnia fere exempla b i b l i c a eiusdem generis sint (ὅτι post interrogationem!) et sine nimio negotio causalem admittant interpretationem, non video sufficientem rationem statuendi pro coniunctione ὅτι novam scl. consecutivam vim. Unica exceptio esset 1 T 6, 7 οὐδὲν γὰρ εἰσηνέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον, ὅτι οὐδὲ ἐξενεγκεῖν τι δυνάμεθα, ubi tamen textus non certus est; alii testes enim legunt δῆλον ὅτι et idem praesupponit Vg: « nihil enim intulimus in hunc mundum, h a u d d u b i u m quod nec auferre quid possumus ».

([1]) Cf. ad hoc et sequentia D. Buzy in *Verbum Salutis* VI, *Les Paraboles*, p. 253 ss ad parabolam de duobus debitoribus et eius applicationem ad peccatricem.

nam (vides) quantopere amavit!» seu «multa censenda sunt remissa esse ei peccata, secus non tantopere amaret». Ita non vertimus, sed circumscribimus textum, qui, in se ambiguus propter ambiguitatem coniunctionis ὅτι, ex contextu clarificandus est et quasi ab ipso Domino clarificatur addente: «cui autem minus dimittitur, minus diligit». Hîc enim relatio causalis univoca est (propter remissionem diligitur). Parallelismus autem et oppositio («autem» δέ) eandem relationem causalem praesupponit in membro antecedente, quae revera habetur si ὅτι de signo vel indicio intellegitur.

Haec tamen interpretatio, logice (ex parabola) et grammaticaliter (ex oppositione alterius membri 47 b) unice satisfaciens, praesupponere debet peccatricem de remissione facta scivisse, antequam haec a Domino explicite manifestata est. Et in hoc fortasse aliqua remanet difficultas (¹). Cf. etiam **304.**

4) De ambiguitate particulae aramaicae *di* (²)

300. Ambiguitas particulae armaicae *di* non potuit non originem dare diversis versionibus subiacentis traditionis aramaicae (sive oralis sive scriptae). Haec enim particula non minus quam septuplicem potest habere vim: reddere potest pronomen relativum, relationem genitivi, coniunctiones ὅτι (et quidem ut causale et recitativum), ἵνα, ὅτε, ὥστε.

301. *a*) **Ὅτι causale loco pronominis relativi.** Ubi Mt 13, 16 habet «... beati oculi quia (ὅτι) vident», Lc 10, 23 habet: «beati oculi qui vident (οἱ βλέποντες)». Ubi Mt 6, 5 legit ὅτι causale, Vg supponit textum qui habuerit relativum: «cum oratis non eritis sicut hypocritae, ὅτι (Vg «qui») amant...». Similiter Mc 4, 41 «quis est iste quia (ὅτι) et ventus et mare oboediunt ei», ubi subiacens *di* aequo iure ac cum ὅτι causali reddi potuit cum relativo ᾧ quae forma textus de facto supponitur a Vetere Latina ff² i q («cui»); cf. Mt 5, 45. Ad Io 8, 45 «ego si (ὅτι) veritatem dico, non creditis mihi» duo sunt manuscripta Vulgatae quae legant «ego autem qui». Etiam Io 9, 16. 17 Vg habet pro graeco ὅτι relativum «tu quid dicis de

(¹) Ad hanc difficultatem vide Buzy, *l. c.*, p. 258 s, ubi etiam ostenditur sententiam expositam patristico fundamento minime carere (p. 261 s).
(²) Ad hoc caput cf. M. Black, *An Aramaic Approach*, p. 52-62.

illo qui (ὅτι) aperuit oculos tuos ? ». Tandem Io 5, 39 « Scrutamini Scripturas quia (ὅτι) vos putatis in ipsis vitam aeternam habere », ubi iterum Vetus Latina a (b) e ff² q legunt « Scripturas in quibus putatis habere », quae lectio etiam a papyro Egerton (ante 150) confirmatur et aliunde quoque ostendi potest aeque antiqua et originalis esse ac lectio nostrorum codicum Graecorum (¹).

302. *b*) Ἵνα **loco pronominis relativi** cum quadam saltem probabilitate supponi potest Io 5, 7 « hominem non habeo ut (ἵνα loco ὅς ?) mittat me in piscinam ». Similiter fortasse 1, 8 ; 6, 30. 50 ; 9, 36 ; 14, 16 (Burney). Ἵνα loco relativi videtur explicare diversitatem et simul ostendere originalem identitatem inter Mc 4, 22 et Mt 10, 26. Legimus enim apud Mc οὐ γάρ ἐστίν τι κρυπτὸν ἐὰν μὴ ἵνα φανερωθῇ, ubi Vg habet « non est enim aliquid absconditum quod non reveletur, id quod exacte correspondet Mt 10, 26 . . . ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται et Lc 8, 17 ὃ οὐ φανερὸν γενήσεται. Illud ἵνα apud Mc originem ducere potuit ex eodem ambiguo *di* quod apud Mt et Lc magis obvie pronomine relativo redditur.

303. Ex eadem fortasse ambiguitate explicari debet, quomodo Mc 4, 12 pervenerit ad difficile illud ἵνα, quod Iesum videtur facere dicentem se parabolis docere ad hoc ut (ἵνα) « videntes... non videant, ne quando convertantur et dimittantur eis peccata ». Traditio aramaica quae subiacere censenda est cum ambiguo suo *di* fortasse potius vertenda erat pronomine relativo : « illis qui foris sunt in parabolis omnia fiunt (utpote) qui videntes vident et non vident » ; id quoad sensum coincideret cum Mt 13, 13 « ideo in parabolis loquor eis quia videntes non vident . . . » et corresponderet interpretationi quae datur a Targum : citationem enim ex Isaia incipit « I et dic populo huic qui audit et non intellegit . . . ». De facto Mc cum hoc Targum contra textum hebraicum et LXX habet « (ne quando convertantur) et dimittantur eis peccata ». Haberemus igitur tres diversos modos quibus idem originale *di* aramaicum redditur : a Mc ἵνα, a Mt ὅτι, a Targum ὅς. Hoc certe momento non caret quaerentibus quid Iesus revera dixerit, vel in nostro casu potius, quomodo, quod certo dixit, intellexerit. Manet tamen immutata difficultas quae nobis ex eo oritur, quod vix dubium esse potest, quin Mc illud aramaicum *di* finaliter sit interpretatus.

(¹) M. E. Boismard in *Revue Biblique*, 1948, p. 3-34.

304. *c*) Ὅτι **causale loco** ὅτι **recitativi**. Ut iam supra (**299**) vidimus, Lc 7, 47 parabola de duobus debitoribus, quibus debitum remissum est, ex toto tenore narrationis deberet concludere: « propter quod dico tibi, cui multa peccata dimissa sunt, multum diligit; cui autem minus dimittitur, minus diligit ». De facto autem solum hoc alterum membrum exspectati parallelismi habetur, cum loco prioris habeatur illud « remittuntur ei peccata multa, quoniam (ὅτι) dilexit multum ». Destructio parallelismi fortasse explicari potest ex ambiguo usu particulae *di*. Si enim supponitur in originali forma aramaica fuisse duplex *di*, unum ante « remittuntur », alterum ante « dilexit », parallelismus exspectandus restitui potest dummodo particulae *di* aliter intellegantur ac ab interprete graeco intellectae essent. Ille enim prius (hypotheticum) *di* habuit recitativum et ideo in graeca versione merito omisit, alterum autem *di* ut causale vertit (ὅτι). Si autem prius *di* ut relativum sumeretur et alterum ut recitativum, parallelismus exspectandus de facto exsurgit: « propter quod dico tibi: c u i remissa sunt peccata multa, (ὅτι recitativum quod tacetur) amavit multum. Cui autem minus remittitur, minus diligit ». In hac interpretatione subiectum « ea cui remissa sunt » per idiomaticum hyperbaton anticipatum esset. Attuli hanc hypothesim, quia ad rem nostram facit, non quasi ei tribuam magnam probabilitatem.

305. *d*) Ἵνα **vel** ὅτι **loco temporalis** ὅτε. Usus temporalis particulae *di* reducendus est ad eius vim pronominis relativi, quod post substantivum temporis et ipsum sensum temporalem assumit. Sex afferuntur a Burney exempla ex Io: e. g. 16, 2 « venit hora ut (ἵνα loco ὅτε vel ᾗ) omnis qui interficit vos, arbitretur . . . ». Eadem formula ἔρχεται ὥρα ἵνα habetur etiam 12, 23; 13, 1; 16, 32. Merito tamen notatur in eadem phrasi ioannea ἔρχεται ὥρα alibi sequi ὅτε 4, 21. 23; 5, 25; 16, 25 et semel ἐν ᾗ 5, 28, unde apparet plena identitas inter ὥρα ἵνα et ὥρα ὅτε, seu, non esse ullam rationem suspicandi quidquam finalitatis in illo ἵνα.

306. Restant duo exempla in quibus non ἵνα sed ὅτι videtur locum tenere coniunctionis temporalis ὅτε: Io 9, 8 « . . . vicini qui viderant eum prius, quia (ὅτι loco ὅτε ?) mendicus erat » et Io 12, 41 « haec dixit Isaias, ὅτι (Vg « quando »; D ὅτε) vidit gloriam eius ». Tandem est qui huc referat etiam Io 8, 56 « Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum » (ἵνα ἴδῃ loco ὅτε εἶδεν ?).

XIV. AD NEGATIONEM

307. *a*) **Distinctio** in lingua classica sat subtilis inter οὐ (obiectivum) et μή (subiectivum) hellenistice simplificatur, ita ut *practice* dici possit: in NT οὐ negat indicativum ([1]), μή reliquos modos necnon infinitivum et participium ([2]).

307a. Ideo quod classice univocum esset, in NT potest esse ambiguum, e. g. G 6, 9 « suo enim tempore metemus μὴ ἐκλυόμενοι » quod classice significaret solum « *si* nunc non deficimus »; in NT potest etiam intellegi: « metemus haud torpentes » i. e. tunc metere non pigebit, ergo nunc bonum facere ne pigeat. — Similiter R 8, 4 ἐν ἡμῖν τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν classice esset: « *si* non secundum carnem ambulamus », in NT *potest* significare: « (utpote) qui... non ambulamus ».

308. *b*) Οὐ in **lingua legali** VT adhibetur cum indicativo futuri in prohibitionibus: οὐ φονεύσεις. In NT praeterquam in citationibus ex VT idem habetur quamvis rarissime etiam in prohibitionibus Iesu e. g. Mt 6, 5 οὐκ ἔσεσθε ὡς οἱ ὑπόκριται; 20, 26 οὐχ οὕτως ἔσται ἐν ὑμῖν. Cf. **206b**.

309. *c*) Οὐ μή cum coniunctivo aoristi (probabiliter quia oriundum ex οὐ φόβος ἐστὶν μή) iam classice adhibetur pro negatione emphatica. In NT usus huius formulae crescit, emphasis autem simul vide-

---

([1]) Vel in ipsa *condicione* « reali », immo semel in irreali: Mt 26, 24 = Mc 14, 21. Μή apud indicativum: T 1, 11 ἃ μὴ δεῖ et Io 3, 18 in propositione causali — singulare quidem in NT sed hellenistice haud rarum (Debr. 428, 5).

([2]) Exceptiones: οὐ cum participio: Mt 22, 11; Lc 6, 42; Io 10, 12; A 7, 5; 1 P 1, 8. Non consideratur exceptio ubi οὐ cum participio format unum conceptum e. g. C 2, 19 οὐ κρατῶν τὴν κεφαλήν non tenens = relinquens, repudians.

tur decrescere, id quod apparet imprimis, ubi haec formula occurrit vel in propositionibus relativis e. g. Mc 13, 2 οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ μὴ καταλυθῇ, vel in interrogatione e. g. Apc 15, 4 τίς οὐ μὴ φοβηθῇ, immo in expressione alicuius praeoccupationis sicut Mt 25, 9 « ne forte non sufficiat nobis et vobis » μήποτε οὐ μὴ ἀρκέσῃ...

Formula haec extra Apocalypsim, ubi occurrit sexies decies, fere limitatur ad citationes ex LXX et ad dicta Iesu (57^{ies} ex 61 locis Evangeliorum), ita ut suspicio oriri possit de influxu quodam semitico. At contra est, quod οὐ μή non habet aequivalens in idiomate semitico et LXX reddunt simplex hebraicum *lo'* indiscriminatim per οὐ et per οὐ μή.

Sed neque ex graecitate vulgari res explicari potest ; nam in papyris οὐ μή rarum est et semper valde emphaticum. Ideo MOULTON (p. 192) proprietatem usus huius formulae in NT reducendam esse suggerit ad opinionem primorum interpretum secundum quam dictis s a c r i s convenit tonus peculiari modo decisus.

In raris casibus, in quibus ipsi Evangelistae hac formula utuntur, usus emphaticus est et graecitati convenit (Mt 16, 22 ; 26, 35 = Mc 4, 31 ; Io 13, 8 ; 20, 25 et fortasse Lc 1, 15 ; Io 11, 56). Idem dicendum est de quattuor locis, ubi Paulus habet οὐ μή et generatim de Epistolario.

310. *d*) In propositionibus **disiunctivis** proprium est Semitarum negare simpliciter unum membrum disiunctionis ad alterum eo magis efferrendum et dicere « n o n hoc, s e d illud », ubi latine diceremus « non t a m hoc quam p o t i u s illud ». Celebre est exemplum Os 6, 6 ubi ipse auctor negationem prioris membri parallelismi explicat in altero membro synonymo : « quia misericordiam volui et *non* sacrificium ; et scientiam Dei *plus quam* holocausta ». In NT cf. 1 C 1, 17 ο ὐ γὰρ ἀπέστειλέν με Χριστὸς βαπτίζειν ἀ λ λ ὰ εὐαγγελίζεσθαι ; Mt 10, 20 οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες ἀλλὰ τὸ πνεῦμα; Io 12, 44 ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ ἀλλὰ εἰς τὸν πέμψαντά με, cf. etiam Mc 9, 37 ; Lc 10, 20 ; Io 7, 16. Hoc phaenomenon ad illam formam mentis pertinet quae « minus diligere » dicit « odisse ».

Hinc iudicetur quam immerito critici Pentateuchi contra legislationem cultualem iam a Moyse datam provocaverint ad testimonium prophetae Ieremiae (7, 22 s) qui Deum facit dicentem : « n o n sum locutus cum patribus vestris et n o n praecepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocautomatum et victimarum ; s e d hoc verbum praecepi eis dicens : audite vocem meam . . . et ambulate

in omni via quam mandavi vobis ...»; quae verba non dicunt aliud ac : oboedientia est melior quam victima [1].

311. *e*) L o c o ο ὐ δ ε ί ς semitice habetur ο ὐ ... π ᾶ ς (= hebraice *lo'* ... *kol*) e. g. Mt 24, 22 οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ; A 10, 14 οὐδέποτε ἔφαγον πᾶν κοινόν. Similiter, sed non tam exclusive semitice, dicitur πᾶς... οὐ, e. g. πᾶς λόγος σαπρός... μὴ ἐκπορευέσθω E 4, 29 et εἷς οὐ e. g. Mt 10, 29 καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν, quod tamen in sensu « ne unus quidem » etiam graece occurrit.

---

(1) De hoc idiomate semitico eiusque in exegesi momento cum multis exemplis agit Heinz Kruse, « *Dialektische Negation als semitisches Idiom* » in *Vetus Testamentum* 4 (1954) 385-400.

XV. AD PARTICULAS

1) Ad particulam $\varkappa\alpha\iota$

312. Aliquo modo quilibet sermo vulgaris alienus est ab idearum subordinatione et ab accurata et explicita indicatione nexus logici earum. Eminenter autem hoc verum est de idiomate semitico quod insuper (si non potius ideo) caret varietate et multiplicitate particularum et coniunctionum, quibus aliae linguae, imprimis in sermone culto et litterario, omnes subtilitates nexuum logicorum exprimere possunt et solent.

312a. Hic semitarum modus cogitandi et se exprimendi paratactice interdum facile explicat textus qui nostrae menti occidentali obscuri vel saltem miri videri debent. Ita e. g. legimus 1 C 12, 3: «. . . nemo in Spiritu Dei loquens dicit 'anathema Jesu', *et* nemo potest dicere 'Dominus Jesus' nisi in Spiritu Sancto». Multum disputatum est, qui potuerint esse illi apparenter charismatici («in Spiritu»), qui dicerent: «anathema Jesu». Res desperata. At subordina, quae hic paratactice exhibentur, et quidem in sensu comparationis, et habes: «*sicui* nemo sub actione Spiritus Sancti dicere potest 'anathema Iesu' (res evidens), ita nemo potest confiteri Christum ut Dominum (= Deum) nisi sub actione eiusdem Spiritus». Aliis verbis: prior sententia non est nisi pars prior comparationis antitheticae, destinata ad hoc ut altera pars, in qua *sola* tota vis est affirmationis, in maiore ponatur luce.

Hic modus procedendi (coordinatio duarum assertionum, quarum prior solum comparationis causa praemittitur) a VT minime est alienus, immo in Prov valde frequens, e. g. 25, 3 » caelum sursum et terra deorsum *et* cor regum inscrutabile »; 25, 20 b « acetum in nitro *et* cantans carmina cordi pessimo »; item v. 23. 25. 27; 26, 7. 9. 14 etc.

312b. Ita et alibi (ubi scl. non subest comparatio) apparens paradoxon alicuius membri prioris per aptam subordinationem resolvitur, e. g. R 6, 17 « gratias autem Deo quod fuistis servi peccati (!), oboedistis *autem* . . . doctrinae » i. e. « quod, cum fuissetis servi peccati, . . . ».

